Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/descriptiopoetic00roch

Curiosa orthographia a d'esta nota!

DESCRIPTIO POETICA
VILLÆ CALARISIANÆ
in libros duos opus dividitur.

PRIMUS
CALARISIS SITU, FERTILITATE, amænitate, Primâquè Palatii Domo deſcriptâ, Tabellas omnes ex ordine enumerat.


SECUNDUS
NOBILI CALARISIS SACELLO, REGUMQ; Adventu enarrato, Souſarum Genealogiam exponit.

AUTHORE DOCTORE
JOSEPHO DE MATTOS ROCHA,
Medico Azeitani.



ULYSSIPPONE OCCIDENTALI,
Excudebat ANTONIUS ISIDORUS DA FONSECA,
Ducis Cadavalenſis Typographus.

M. DCC. XXXIX.
Cum facultate Superiorum.



G.F.L. Debrie inv. et sculp 1739.

PRÆCLARISSIMO DOMINO

D. EMMANUELI DE SOUSA,

Commendatori Divi Salvatoris de Infeſtis, ac ſimul Divæ Mariæ de Belmonte: Germanæ Cohortis ad Regis cuſtodiam ſignatæ Duci nobiliſſimo.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

CALARISIM tuam Tibi reddo; ſed adeo deformem, & impolitam, ut illam fortaſsè non agnoſces. Interrupta ſæpe Muſarum

 amici-

àmicitia, & præcipuè ingenii mei tarditas, ingenitam ſanè Calarîſis pulchritudinem deturpârunt: utcunque tamen ſit, tua eſt, & tuos nunc ad pedes provoluta, etſi Authoris pudeat, Domino ſuperbiet. Nobiliſſima Calarîſis Villa ita ſalubri cælo fungitur, ut mihi Medicum agenti parùm ſemper materiæ præſtitit; multum verò exhibuit ad ſacros Pindi receſſus adeunti. Ars, & natura amico fœdere ſociatæ illam præ reliquis Luſitaniæ Villis ſublimem reddidêre: ad Barbarici Promontorii radices ſita, nemoribus circumſepta, fontibus irrigata, viridariis plena, floribus conſpicua, procul dubio Véris patria eniteſcit. Palatii ſuperba moles cæli æmula, tot Cæſarum imaginibus, tot nobilium Pictorum tabellis exornata, omnium oculos, omnium animos in admirationem rapit. Quis ad Calarîſim videndam non accedit, viſamquè non laudat? Illam inviſit Potentiſſimus noſter Portugalliæ Rex, Joannes Quintus, juſſitquè numeroſo carmine celebrari ab illo Parnaſi Principe, mirandoquè noſtrorum temporum Ingenio, ſapientiſſimo Patre Antonio dos Reys; ruſticanamquè Calarîſis Domum ſui hoſpitio penitus regalem fecit. Regina, noſtriquè Principes ingreſſi Calarîſim, illius amænitate detenti, illius amore devincti, ibidem per multos dies morati ſunt; nec, niſi vocante Rege, abiêrunt. Jure ergo me invitavit amæniſſimæ Villæ

læ pulchritudo, ut quantùm in me eſſet, illam Poſteris relinquerem commendatam: itaque feriantibus per Azeitanum morbis, quidquid mihi otii, quidquid quietis fuit, Calarîſi tuæ applicui deſcribendæ: veram illius imaginem Tibi ſiſto: tabellas omnes fido calamo percucurri. Souſarum Genealogiam Operi metam appoſui, & coronam, ut orbi pateat, quòd Calarïſis gloria non tam in marmoribus, quàm in Dominis fulcitur. Præclaros hucuſque Calarîſis obtinuit Dynaſtas, qui illam magnoperè nobilitarunt: Te verò Dominum aſſecuta in ſummo honoris faſtigio acquieſcit: tantùm acceptam à Maioribus Nobilitatem propriis virtutibus extuliſti! Clariſſimum illud Souſarum Genus à Gotthorum Principe Belſaguerio derivatum, & nunc tot Lyſiæ Proceribus implicitum, ſplendidè quidem tua merita coronârunt: tua, inquam, merita, quæ nunc exponere pararem, ni modeſtiam tuam lædere metuiſſem. Quis tamen animi tui candorem, pectoris magnitudinem, dexteræ liberalitatem, ingenii acumen, armorum peritiam, morum excellentiam ingrato ſilentio relinquet involutam? Communiter fortuna Viris optimè meritis adverſatur; Tibi verò adeò amica, & benigna fuit, ut ſummam vitæ præbuit felicitatem; nam ſi ſumma vitæ felicitas in divitiis ſimul cum honoribus ſita eſt; Tu, licèt Primogenitus non eſſes, paternæ

Domus

Domus hæreditâtem adiiſti, ac nobiliſſimo conjugio Principis de Holſtein maximam Nobilitatem Souſarum Familiæ inſeruiſti. Adde, quòd Filium jam habes Primogenitum collo nutricis adhærentem, & nunc ab immani morbo feliciter liberatum. O feliciſſimo Domino Calariſis feliciſſima! Quem igitur mea carmina quærerent Mecenâtem, niſi Te, qui, utpote Germanæ Cohortis ad Regis cuſtodiam ſignatæ dux ades ſtrenuiſſimus, me ab adverſis Zoilorum gladiis poteris defendere? Mea igitur, ac tua ſimul, Calarîſis ſub Lunarum tuarum radiis protegatur, ut depulſis invidiæ tenebris, fugatäquè oblivionis caligine, totum queat per orbem collucêre. Vale. Azeitani, 17. *Maii anno* 1737.

Excellentiæ tuæ deoſculatur manus

Servorum obſequentiſſimus

Doctor Joſephus de Mattos Rocha.

LECTORI.

GRatias mihi agere debes, Lector humaniſſime, quòd abſque itineris labore poteris aſpicere Calarîſim: ſi jam vidiſti, illius imagine iterum delectaberis: ſi non vidiſti, miraberis ſitûs amænitatem, Palatii magnificentiam, tot Cæſarum ſtatuas, tot inſignium Pictorum tabellas: quæ omnia frequenter à me viſa, nunc tibi offero aſpicienda: nec tibi ingratum fore judicavi, Souſarum Genealogiam exponere, indequè ortam Calariſiadũ propaginem explanare: circa illam fideliſſimos Authores conſului: circa hanc quidquid refero, omnibus ſatis notum. Ad admirationem te accinge erga clariſſimos Viros, tum antiquos, tum recentes, qui Souſarum ſtirpem ita ſublimè extulêrunt, ita decorè exornârunt, ut ejus gloria æternitatis æmula permanebit. Sublimiori cothurno hoc Opus dignum erat: ſopitos Tagi Cygnos forſitan excitabo, ut Souſiacæ gentis Herôes, qui vel gladii fortitudine, vel ingenii ſubtilitate, vel Dignitatum eminentiâ Patriam decorârunt,

rârunt ; dignis laudibus officioſi proſequantur. Intereà hoc meo quàmvis exiguo fruitor labore, ob quem ſimul tibi gratias agere debebo, ſi ille tuam benevolentiam conſequi mereatur. *Vale.*



FA

FACULTAS
Generalis Concilii Sanctæ Inquiſitionis.

CENSURA REVERENDI PATRIS LUDOVICI Alvares e Societate Jeſu, S. Inquiſitionis Cenſoris, Trium Ordinem Examinatoris, & Sereniſſimi Infantis D. D. Antonii à Confeſſionibus.

EMINENTISSIME DOMINE.

NOn una ſolum Artium præſtantia cæteras Orbis nationes antecellit Luſitania: ingeniorum ferax eſt, & per egregia literarum monumenta fæcunditatem ſuam commendat: anteactis Sæculis plurimos edidit alumnos, omni diſciplinarum genere inſtructos, ſoluta æquè, ac ligata oratione præclaros. Inter alios fulget, & eminet, velut inter ignes Luna minores, Doctor Joſephus de Mattos Rocha hujus Poeſis elegátiſſimè concinnatæ Auctor; quam Eminentiæ Veſtræ mandato ad Theologiæ trutinam expendendam ſuſcepi. Hoc opere novum Apollinis Oraculum in memoriam revocat Achilles, Pereiras, Mellos, Paivas, Macedos, Pintos Luſitanorum poetarum choro jure merito adſcriptos, ſed incomparabilem gloriam extinguit. Sint illi muſarum cultores, ſint ſua antiquitate venerabiles; dummodo ſciat terrarum orbis, in eis politiori induſtria formandis naturam, & artem præluſiſſe ad hujus Poeſis Auctorem omnibus numeris abſolvendum; propterea unicus in hac ætate, quia Phænix naturæ opes exhaurit, præ ſe fert Homeri inventionem, Virgilii elegantiam, Statii ſpiritum, Lucani maturitatem, Claudiani dulcedinem, quibus poſthac omnium admirationem advertet. Nec ſilentio præterire debeo quod medicinæ ex officio deditus Carminibus det operam; nec Muſis ſervire dedignetur, qui in Hypocratis, & Galeni lectione curas de-

** figit,

figit. Quid ſeria Hominis parturient, ſi ludicræ occupationes adeo limatum opus efferunt? Duobus libris totam Villæ Calarîſii nuncupatæ deſcriptionem complectitur, digniſſimam plane quæ in utrâque Herculis Columna pro Non plus ultra appendatur. Hanc tamen honeſtiſſimam, ſeveriora ſtudia remittendi notam decora eluit Clarîſſimus verſuum ſcriptor, quando ad ſcribendam Villam, fortunati Elyſii partem, totum Parnaſum advocat in auxilium. Nec tanti viri ingenio per omnia facili, acuminis pleno, & fæcundo obſtitit loci magnitudo, Soli fertilitas, infinita arborum, ac florum amænitas, Palatii affabre conſtructi ſublimitas, Sacelli, ſeu potius Templi cælo æmuli pulchritudo, & ſupellex, univerſæque Souſarum familiæ ab atavis Regibus deducta ſeries; quin omnia adeo ad vivum exprimi, ut cerni potius videantur, quam audiri. Hoc unum tandem reſtat, quod ſcilicet Calariſium ſonoro cantu mirifice celebratum Poeſis auctori vicem reddit; quandoquidem occaſionem, per quam eniteſceret, benigne obtulit; & ille pariter hoc tam ſingulari præconio omnium gentium linguis, ac literis conſignando caducam Villæ conditionem immutat, & æternitati conſecrat, neque ulla erit ætas, quæ unquam de Calarîſii laudibus conticeſcat. Idcirco opus egregie conſcriptum, & Autoris acumini ex echo reſpondens ad poſteritatis notitiam, & doctrinam cenſeo evulgandum: nihil enim in eo inveni, quod ſeverus Ariſtharcus vellicet, quod invidus Zoilus mordeat, & cenſoriæ virgæ corrigendum ſubjiciatur; denique quod noſtræ, ac veræ Fidei legibus repugnet. Hæc mea Cenſura. Ulyſſipone Occidentali e Domo Profeſſorum à D. Rocho dicta 8. Auguſti. 1738.

Ludovicus Alvares.

Viſta a informaçaõ, pode-ſe imprimir o livro de que ſe trata, e depois de impreſſo tornarà para ſe conferir, e dar licença que corra, ſem a qual naõ correrà. Lisboa Occidental, 8. de Agoſto de 1738.

Fr. Rodrigo Alancaſtre. Silva. Cabedo. Soares. Abreu.

FA-

FACULTAS
Ordinarii.

CENSURA REVERENDI PATRIS FRATRIS Joſephi de Oliveira Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, in Sacra Theologia Magiſtri, &c.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

EX mandato Dominationis veſtræ vidi Deſcriptionem Poeticam Calarîſianæ Villæ una cum genealogia Souſarum elaboratam a Doctore Joſeph de Mattos da Rocha. Nihil in ea inveni contra Fidem, aut bonos mores. Imo digna mihi videtur facultate quam petit, ut medio Typographiæ omnibus nota ſit, & communicet omnibus tanti ingenii facunditas, præſtantia, & ſubtilitas. Vere Apollo, qui, & Medicinæ, & Poeſis primus uſum tradit, ſeu primus in utraque, quia in utraque Apollo. Ulyſſipone Occidentali e Conventu Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. 20. Septembris. 1738.

Fr. Joſeph de Oliveira.

VIſta a informaçaõ, pode-ſe imprimir o livro de que ſe trata, e depois de impreſſo tornarà para ſe conferir, e dar licença para que corra. Lisboa Occidental 18. de Outubro de 1738.

Gouvea.

DO PAÇO.

CENSURA DO CONDE DO VIMIOSO, do Conſelho de Sua Mageſtade, &c.

SENHOR.

LI por ordem de V. Mageſtade a obra intitulada: *Deſcriptio Villæ Calariſianæ*, compoſta pela Doutor Jozé de Mattos da Rocha, e me pareceo digniſſima de que todos a leſſem com admiraçaõ pelo Eſcritor, e pelo aſſumpto. Eſta foy a cauſa, porque tendo feito os outros Cenſores as ſuas Approvações com grande elegancia na lingoa Latina, eu quiz padecer mais eſta deſigualdade, fazendo a minha na lingoa Portugeza.

Grande laſtima he, Senhor, que em hum ſeculo, em que V. Mageſtade faz florecer tanto as ſciencias, em que erige as Academias, e protege os ſabios, ſe deſpreze de ſorte a lingoa Latina, que ſejaõ menos os que a ſabem com imperfeiçaõ, que os que a ignoraõ inteiramente. Grande laſtima que por ſe pouparem a hum pequeno trabalho, percaõ a veneraçaõ, que devem à douta antiguidade, privando-ſe das fontes da eloquencia, dos exemplares da hiſtoria, e dos modelos da Poeſia!

Eſta, torno a dizer, he a razaõ, porque uſo agora da lingoa materna; para que pela minha cenſura eſtimem o Autor os que naõ conhecem o ſeu merecimento, e reſpeitem a obra os que naõ comprehendem a ſua perfeiçaõ.

Digo pois que o Poeta he mui proporcionado à materia de que trata, ou mui ſemelhante ao edificio que deſcreve: que no agrado da verſificaçaõ compete com a amenidade do ſitio, na mageſtade da fraſe com a nobreza dos materiaes, nos adornos dos penſamentos com as alfayas da caſa, na caſtidade das palavras com a pureza das fontes, finalmente nas flores artificiaes da Poeſia com as naturaes dos jardins.

Faltava

Faltava fallar nos magnificios Donos deſta ſoberba fabrica, taõ conhecidos pelo eſplendor, taõ venerados pela honra, taõ celebres pelo entendimento, taõ famoſos pela erudiçaõ: mas louvallos pouco, parece mais inveja que elogio, louvallos muito, parece mais eſquecimento que memoria do que foraõ, e do que ſaõ. Lisboa Occidental 6. de Novembro de 1738.

Conde do Vimioſo.

QUe ſe poſſa imprimir viſtas as licenças do Santo Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornará à Meſa para ſe conferir, e taxar, que ſem iſſo naõ correrà. Lisboa Occidental, 14. de Novembro de 1738.

Pereira. Vaz de Carvalho. Coelho. Coſta.

AD AUCTOREM.

VOCALIS oſor quid fugis indolis
Ciere Carmen Phæbe, per aures
Expergefactæ fila dudum
Ire chelys, remorante plectro?
Æquor ne vaſtum, quod modo panditur
Enavigandum, ne pereat, tua
Formidat Argo, victa mole
Immodica, nimioque fluctu?
Dulce, & decorum eſt fluctibus emori
Laudum ſub altis. Indus, Erythraque
Fulgore quanvis conjugato,
Non tumulo hoc ditius coruſcent.
Eia, mihi adſis, carminis arbiter,
Dignis parantem tollere laudibus
Virum, quem plauſibus laborat
Perpetuis celebrare rumor.
Hic ille ſacræ, qui artis Apollinis,
Quæ regnat inter rara ſcientias
Exhauſit undarum fluenta,
Ah! nimium ſitibundus ore.
Tagus ſonorus cujus ad hoſpitam
Vocem eruditus, ſæpius immemor
Labi, pependit uda incertus
Aure vacans taciturnus amne.

Cui

Cui ſurgit omnis Pieridum Chorus,
Volenſque laurum, ſertaque porrigit
Seu plectra ſumpſit, ſive totum
Ipſe aliis Helicona pandit.
In quanta vates ora refingeris
Joſephe, mentem callidus igneam
Verſare, Hyanthæi inquilinum.
Prodigium fluvii diſertum.
Maronianos eſt amor aggredi
Verſus, Apollo præſtat eburneum
Tibi vocale plectrum, & ipſum
Romuleum ſuperas poetam.
Tu delicati carminis artifex,
Frondeſcis auro dives, & emicas
Simul Peligno cultus ore,
Perque fides, numeroſque ludis.
Tuam ſuperbit grandior adſpici
Flacus per artem. Lenius extumet,
Modumque diſcit verticoſo
Pindarus immodico fluento.
Suadæ medullam, & nectaris aureum
Rorem beati carmine deliquas
Gravi, dum Callarîſim cœli
Ætherei ſuper aſtra ponis.
Itura Phæbo clarior æmulo
Viſura plectro nobilis hæc tuo
Naſcentis Auroræque cunas,
Heſperii tumulumque Solis.

O' fa-

O' fabuloſo dulcior Orpheo ,
Plectrique vates non non imitabilis ,
  Cui nectar in chartas , olenſque
    Ambroſiam fluit ore carmen.
Te plena claris Lyſia vatibus
Et docta quondam noſcet Iberia:
  Te Scaldis, Sequanæque potor,
    Te Latiæ leget hoſpes oræ.
Et tu Britannos hoſpitibus feros ,
Truciſque tanges litora Boſphori ,
  Quaſcumque Titan igne luſtrat
    Ingenio penetrabis oras.
Te fama lauru Cæſareâ haud minor
Joſephe, plenis garrula vocibus
  Sublimè vatem perſonabit
    Mille tubis , lituiſque mille.

Thomaz Caietanus de Bem C. R.

AD AUCTOREM.

MAGNE tuum Joſeph, Souſæ de rure poema
Legi deliciis ruris in urbe fruens:
Carminis illa tui cum majeſtate venuſtas
Mixtaque cum veris cætera ficta placent;
Quarè age jam totum te quantus es, exere vatem,
Virgilioque parem Calliopea probet;
Jam, Maro quod fecit ſylvis egreſſus, & arvis,
Rura Joſeph linquens, arma, virumque cane.
Obvius eſt Heros pietate inſignis, & armis,
Digna cani Quinti facta Joannis habes.

Aliud.

Omnes docte Joſeph imitatus Apollinis artes,
Vatibus, & Medicis alter Apollo præes.
Arte poetandi præclarus, & arte medendi
Jure refers Clarii, nomen utrumque Dei;
Ut tamen in Pindo commune eſt quærere Phæbum,
Malo ego te in Souſæ quærere Rure Joſeph.

Joſephus Podeſtà Genuenſis.

JOSE-

JOSEPHO DE MATTOS ROCHA
Doctori Sapientiſſimo.

TErra vale,ſuper aſtra feror,feror alite fauſto,
Hic calor affectat ſidera , Terra vale.
Nec timeo,Icario ne dem nova nomina pōto
Aut Phaetontæis , fabula, condar aquis.
Haud mea Dædaleâ nituntur brachia cerâ ,
Sed curru , ſolvi non metuente , vehor.
Joſephus ; mihi Martis equi , Cybelesve Leones ,
Hoc duce divinum ſollicitamus iter.
Abripior : quo me, quanam rapit avius ardor ?
Vix oculi , quidquam quod tueantur , habent.
Subſidunt turres , & mergi tecta videntur ,
Inque ſuas valles mons fugitivus abit.
Magnifici Reges , qui plebem vertice ſupra ,
Sunt mihi, Myrmidonum quod fuit ante cohors.
Et nebulæ , & circumfuſus frontem occulit imber
Jam pluviæ, invadunt ora loquentis , aquæ.
Fallor, an excuſſa micuit face proximus æther ?
Sentio , vicino fervet ab igne caput.
O benè; tranſcendi : jam Phæbo jungimus ora ,
Signaque, quæ numero ſunt duodena , patent.
Blanditur nitido Tauruſque , & Scorpius aſtro ,
Sit licet hic caudâ , cornibus ille minax.
Hac cupiet , credo cœli regione morari
Siquis apud Geminos tertius eſſe volet.

Sed procul à nobis rota , quam violaſſe Prometheus
Fingitur , & patriis qui jacet uſtus aquis.
Altius, altius , aſt *Joſeph* rapit , altius urget ,
In loca mortali non adeunda pede.
Dà veniam Natura , & quæ rerum ultima meta ,
Hic quoque tu nullum, Termine , Numen eris.
Hic ubi ſum ? Mens excidit: ambiguo pede nuto :
Parcite ſi rebus diſſona verba loquor.
Panchæis liquidus perflatur odoribus æther :
Hos pia thuricremis miſit acerra focis.
Fulmineæque Preces & vim facientia Vota
A' ſuperis pacem , juſta per arma, petunt.
Barbarico Souſana Domus de Monte coruſcat,
Tamquam flos campi , fulgida ſtella poli.
Et propè conſpicio de gemmis condita tecta ;
Eſt, non nota prius, Numinis illa domus.
Materies operis loquitur : ne plura requiras ?
Quæ me ſpectabat porta , Smaragdus erat.
Hic mihi tres viſæ Nymphæ , quæ prima, vocatur,
Orta que à priſco tempore , cana Fides.
Altera, Spes, ægris mortalibus unda medela ,
Quæ miſeris , melius poſt fore ſemper ait.
Tertia , re magis eſt, quam nomine , cognita Virgo:
Solaque , quo reliquis non licet , ire poteſt.
Laxantur valvæ : quid erit ? Diva illa ſubintrat ,
Quæ, quod amet, vultu diſſimulare nequit.
Pauliſper tacuit : mox ut data copia , cæpit,
Ante genu Numen devenerata , loqui.

Joſephus.

Joſephus, vox prima fuit ; vox ultima *Rocha* ,
Cætera , *de Mattos* , verba precantis erant.
Finierat : ſimul hoc, cui pangit Muſa , volumen
Leniter erectâ tollere vi a manu.
Dignus hic eſt , Superi , duplici Liber illitus auro,
Circum ederæ, & laurus , vivaque cedrus, eant.
Annuit is, cujus digitis mortalia pendent ;
Signaque divino plena favore dedit.
Subſequitur Chorus, ante alios acclamat *Joſeph*,
Mattos Rocha ſonat ; vim *Medicina* canit.
Lyſia Magna, novis aſſurge Authore triumphis,
Audeat, & plauſus duplicet ipſa tuos.
Barbarici Montis recolens in vallibus Echo,
Acceptas voces reddere ſæpe volet.
Quique jacent circum naturæ mænia , montes ,
Ad numeros , motâ fronde, cacumen agént ;
Et ſua Nobilitas , terquinque per oppida , latè
Fama quod ignotum non ſinit eſſe , canet.
Carmina cùm video, celebro ; cognomina laudo ,
Souſa in principio , fineque *Rocha*. Vale

Authori

Ab Authore ignoto.

AD

AD AUCTOREM.

EPIGRAMMA.

SIc Calariſium pingis Rus carmine Joſeph,
Ut Latii merito cætera Rura terat.
Sed licet exuperet Rus hoc tot puchra vireta,
Ars eſt qua pingis plus pretioſa mihi.
Quidquid Rure nitet laudato, crede , peribit,
Uſque ſuperſtes erit Ruris imago tua.

Caietanus Bioldi.

AO

AO DOUTOR
JOSÉ DE MATTOS ROCHA,

Deſcrevendo a grande, e deleitoſa Caſa de Campo Calhariz da Illuſtriſſima Familia dos Souſas.

ENDICASILABO ROMANCE.

COm doce pulſo, em plectro armonioſo,
Duas vezes filho deſſe Apollo excelſo,
De vós meſmo excedido, veja o mundo,
Neſte Canto immortal o voſſo alento.
Por Ciſne racional, douto, e canoro
Vos reſpeita dourado o Patrio Tejo,
Em cujo applauſo, reverente pâra
Para ouvir-vos cantar ſeu Curſo bello.
Se acaſo a emulaçaõ torpe excitaſſe
Nova Hiſtoria de Ariaõ em vòs; contemplo,
Que ao meſmo Tejo, em ſeus hombros dourados,
Alto triunfo ſeria o voſſo pezo.
Do Imperio Luzo, Luzitano Maro
Sois das Muzas lizonja, e ſabio enleyo,
Repartindo comvoſco o meſmo Apollo
Deſſe Pindo bifronte o ſacro Imperio.

Com

Com tanto acerto vos adopta Douto,
Que de Eſculapio deſvanece o exceſſo,
Querendo, ſeja voſſa imagem ſempre
Adorno ſingular daquelle templo.
Medico, Poeta em fim com tanto applauſo
Voz fez a ſabia propenſaõ do genio,
Que prendeis neſtas duas faculdades
A vaſta comprehenſaõ dos mais talentos.
Cantais Heroico a Chypre Luzitana,
Que a Paphia dera ſoberano aſſento,
Se de outra Venus Alemãa naõ fora
Por Eſtancia melhor verde emisferio.
Neſte Poema, de eloquente, Rocha,
A vós proprio lavrais hum templo eterno,
E a ſer preciza imagem para o culto,
Só vós ſerèis imagem de vòs meſmo.
Novo milagre a ſuſpenſões atado
Encontra reverente o meu conceito,
Que ſe houve a cantos arraſtradas rochas,
Vos Rocha ſuſpendeis nobres alentos.
Entre taes Mattos veja ao longe erecto,
Douta curioſidade, eſte eſtupendo
Obeliſco da idêa primoroſo,
Que em voz grave elevou mais Douto Orfêo.
Amena Calhariz cantaes ſonoro,
Eſſe Hybla Portuguez, eſſe portento,
Que ſendo ao longe encanto dos ouvidos,
He feitiço dos olhos todo ao perto.

Aqui

Aqui fatiga Venatoria Diana,
A ſelva, que rendida ao pulſo bello
Em cada planta reverdece hum Mayo
Do pè da Deoſa culto lizonjeiro.
Aqui o Fauno petulante ſalta
Buſcando a Nayde com canoro empenho;
Que em tal ſitio atè vivem de armonias
As plantas, fontes, brutos, e Rochedos.
Pomona, e Flora ſem litigio nunca,
Conſervaõ entre ſi galhardo Imperio,
Cedendo feudos huma a outra, quando
Lhos diſputa rugado o triſte Inverno.
Eſſe de Europa roubador tyrano
Deſtimido paſſea o prado ameno,
Ufano, de que a ſelva que apaſcenta,
He de Europa eſtaçaõ melhor, no aſſeo.
Cerdoſo bruto, que ao venablo expoſto
Dos caens temidos ſe retira fero,
Aqui por diverſaõ de nobre pulſo
Torcido o dente amolla em tronco denſo.
A que na frente conta os annos todos
Que vive fera timida, ſoſpeito,
A cada paſſo deſafia o Noto,
Em cada reſpiraçaõ afoga o Euro.
Aqui Paris ſegunda vez famoſo
Com profundo juizo, alto decreto
Larga o pomo dourado, reſpeitando
Do que a Cypria melhor, mais bella Venus.

**** Tudo

Tudo cantaes tambem Rocha ſonora,
Que em paſmos ſôa repetido o ecco,
Pois ferido no concavo dos montes,
Tres vezes engrandece o voſſo acento.
Do Souſa Illuſtre, toda a eſtirpe regia
Em voz grave trinaes com tanto acerto,
Que fica o aſſumpto duas vezes grande
Neſſe auguſto eſplendor, e no conceito.
Cantay Luzo Virgilio, em gloria tanta
Que pendurado ainda o voſſo Plectro,
Todo o Parnaſo lhe tribute votos,
Naõ mais que por ſer voſſo eſſe inſtrumento.

Fr. Franciſco Xavier dos Serafins Pitàrra,

Religioſo Menor da Provincia dos Algarves.

SAPI-

SAPIENTISSIMO DOMINO

JOSEPHO DE MATTOS ROCHA,

Peotæ Clariſſimo.

EPIGRAMMA.

EXimios inter lauro donande poetas
    Joſeph, Lyſiaci gloria magna ſoli.
Flos, & amor Vatum, quo Cynthius ipſe canente,
    Et veniunt faciles ex Helicone Deæ.
Ediderint tantos quod ſæcula priſca poetas,
    Non ideo noſtris anteferenda putem:
Illa quidem multos, unum te noſtra, tulere,
    Unus ſed multos exprimis, unus habes.
Uno noſtra ætas felix te vate triumphat,
    Nobis, turba vetus quod fuit, unus eris.

Aliud.

Græcia Mæonidem jactet ſibi, Roma Maronem;
    Lyſia te, Joſeph, jactat utrique parem.

Aliud.

Præſidium, & Latiæ decus immortale Camænæ,
    Et merito à Clario culte Joſephe Deo:
Protinus ut legi tua carmina, docte poeta,
    Obſtupui; & dixi: ò grande Maronis opus!
Sed poſtquam ex titulo ſenſi me errore teneri,
    Clamavi, hoc cuperes compoſuiſſe Maro.

Aliud.

Aliud.

Quæ mihi miſiſti dulciſſima carmina vidi ,
Indicia ingenii ſingula clara tui :
Inſurgis quantus Phæbæo agitatus ab æſtro ,
A' te cum referunt ſcripta Maronis opus !
Hinc lauro es dignus , cedro cum digna loquaris,
Et patriæ exiſtas gloria rara tuæ.
Sed magnas cupidè conantem dicere laudes ,
Defficiunt vires debilis ingenii
Non deerunt alii, dabitur queis carmine digno
Dicere quæ reticet noſtra Minerva rudis.

DES-



DESCRIPTIO
VILLAE CALARISIANAE.

LIBER PRIMUS.

FRONDOSAM canimus ſedem Calarîſis amænæ ,
Picturiſque ferax Souſarum nobile tectum :
Hinc Calariſiacæ priſca incunabula prolis ,
Fæcundumque genus claris Heroibus , ipſam
Qui Lyſiâ palmis , famâ orbem, ſidera plauſu

Implevere ſuo , numeris aptabo ſonoris ;
Namque mihi Phæbus binas , queis præſidet , artes
Munera bina dedit : pallentem expellere morbum
Dextra valet , dulceſque ſimul reſonare camænas.
Attamen , ut poſſim Zephyro ſinuanda benigno
Pandere vela ratis, teneram nunc porrige dextram,
O formoſe puer , patrum ſpes prima tuorum ,
Souſiacæque Domûs novus hæres , parve Philippe ,
Qui tot avos Reges numeras, ſceptriſque propinquus
Tòtius Europæ noſtros ad ſidera Souſas
Evehis , atque novo Calarîſin lumine cingis.
Sed quanvis nullus proavorum ex ſanguine fulgor
Te clarum faceret , fieres ut clarus in orbe ,
Eſſe ſatis poterat tales habuiſſe parentes ;
Nam pater Emmanuel, Princepſque Holſtenia mater.
Ergo , dum bello nondum maturior ætas
Advenit , ut quondàm haud injuſto Marte cruentus,
Quæ Domui direpta tuæ Glacialia Regna
Danus habet , victor ſubdas , meritoque coronet
Tandem jure tuam ſupplex Norvegia frontem ,
Tu mihi Numen eris , tu Vati flavus Apollo ,
Dum Villam celebrare tuam, Pindumque movere
Muſa parat ; virtute autem , & florentibus annis
Cùm vigeas olim , tibi ſurget nobile plectrum ,
Quod tua facta canet , partoſque ex hoſte triumphos.
Mons ubi Barbaricus ſcopulis horrentia latè
Brachia diſtendens , frondoſo ſidera fulcit
Vertice , & Oceani tumidis pulſatus ab undis,

Ulti-

Ultimus occiduis inſurgit terminus oris :
Quà gelidam paulum declivis vergit ad Arcton,
Vallis amæna ſedet , cujus ſtat fronte niteſcens,
Souſiadûm præclara Domus , Calarîſis, & altæ
Dat Calariſiadûm ſoboli de nomine nomen.
Hæc Cyprum conſtructa novam nitidiſſima ſedes
Quæque videt latè dominans per pinguia culta
Tenditur, & muris amplectitur arva ſuperbis.
Hìc ver perpetuum: Zephyri pulcherrima conjux
Purpureum hìc Regnum ſtatuit , pictoſque clientes
Perpetuò Regina fovet , paſſimquè per agros
Floribus innumeris rident Calariſia Tempe.
Hìc ſedem fæcunda ſuam Pomona locavit,
Arboribuſque omnes pomorum effundit habenas.
Non nè corymbiferi ſpumantia munera Bachi
Vaſtus alit campus Batavis portanda carinis?
Scorpius ut nitidi fulget domus aurea Solis,
Sollicitoque venit vindemia grata colono,
Vtile fervet opus: dulces hic amputat uvas:
Ille caniſtra vehit maturis fæta racemis.
Pondere Lenæo cernes ſtridentia plauſtra
Ire viam , tardiſque rotis ſignantia campum
Tendere paulatim domibus , queis muſta fatiſcunt
Preſſa nimis , largoſque effundunt undique rivos.
Nec minùs hìc Cereris flaventia dona quotannis
Præbet ager: Siculas equidem contemnit ariſtas
Pingue ſolum, capiuntquè immenſas horrea meſſes.
Jugera mille tibi gratantur, Diva, cerêbro

Orta Jovis ; fæcunda tuo quòd tota videmus
Invento : hìc oleæ tot longa per arva locantur
Agminis in morem : virides mirabere turmas
Ordine diſpoſitas recto , bacciſquè nigrantes.
Quid memorem ingentes lucos , ubi Souſia proles
Venatu pellit curas , cervique fugacis
Nunc rapidum ſequitur curſum: nunc ulta Dionen
Cuſpide lethali ſpumantem confodit aprum ?
Abſcondunt pineta diem , Soliſquè morantur
Ardentes radios , & opaco vertice nubes
Aëris in mediâ regione attingere gaudent.
Annoſæ quercus ingentia brachia pandunt
Non lapidum immemores, vacuum quos jecit in orbē
Deucalion, hominumquè genus reparavit ademptum.
Sidereas terebrare domos Cypariſſus acuto
Vertice conatur , terriſquè adjungere cælum.
Sed quâ Barbarico de monte cadentia ſilvam
Cernimus , ut vaſtam ſcindunt hyberna fluenta,
Imaquè per ſaltum labentes colligit undas
Vallis , & aſſiduo rivorum murmure gaudet ,
Invia ſerpentum generi , ſedeſquè volûcrum
Ripam utramque tenet viridanti fraxinus umbrâ.
Quæque olim curru lapſum Phaëtonta paterno ,
Immerſumquè Pado juvenem flevere ſorores ,
Hìc virides tendunt ramos : hìc nutat arundo
Flamine preſſa levi, atque umbroſo tegmine lymphā
Condit , ut ardentem declinet frigida Solem.
Prætereuntis aquæ latere ex utroque videbis ,

Ut

Ut nemus omne colit Veneri gratiſſima pulchræ,
Quæque ſibi myrtus, cùm flores induit albos,
Dat nive conſpicuum fragranti albeſcere ſaltum.
Arbutus hìc dulcem Sarrano veſtiit oſtro
Baccarum ſobolem: ramis pungentibus hæret,
Cujuſdam exigui fruticis mirabile donum,
Purpura, quam docti Chermen dixere Pelaſgi.
Hæc, niſi præfixo capiatur tempore, tota
In vermes abiit; ſed provida cura, priuſquam
Mutare incipiat formam, legit ungue rubentem.
Nec ſolùm Tyrio regales tingere veſtes
Illa colore valet; ſed vi donata ſalubri
Cor recreat, morbum ſuperat, pellitquè venenum.
Sic ludit natura potens, ingentia quando
Semine tam parvo poſuit medicamina vitæ.
Sed quia Solis equi tantum mortalibus ignem
Nunc curru fervente vehunt, adeamus, amica
Muſa, lacum gelidis ſemper qui uberrimus undis,
Et circùm arboribus ſeptus dat frigus opacum.
Naïades, & Nymphæ ſimul occeanitides altum
Conſuluêre Jovem, locus hic an Numina ponti
Pulchra petat, mereantvè illum coluiſſe ſorores,
Numina pulchra ſoli, quæ puris fontibus adſunt?
Tantaquè ſub dubio ſententia judice pendet.
Namque lacûs medio, ſpumoſi ad Regna tridentis
Rupit iter tellus, fundoquè exæſtuat imo
Undarum aſſiduus vortex; ſurſumquè vorago
Tantum impellit aquæ, ut totum hinc exire videres
Ocea-

Oceanum , anguſto gemeret ni tramite preſſus.
Ergo magna ſatis lympharum copia magni
Dat faciem ponti , cui ſtat pro littore murus.
Hìc tibi ſi placeat calidum depellere Solem,
Cùm Leo flammivomus ſtellato ardeſcit Olympo,
Lapſaqué deficiunt arenti lilia campo ,
Mox pinum conſcende cavam , pictoquè phaſelo
Huc clavum, atquè illuc contorquens, humida Regna
Curre lacûs nitidi , totusquè fugabitur æſtus ;
Aëra namque vapor ſtagnanti miſſus ab undâ
Temperat ardentem , præbentquè flabella calori
Percuſſæ Zephyro ſalices , denſæquè geniſtæ,
Populus alba , ſiler frondoſum , laurus opaca ;
Multaquè prætereà , quæ lymphæ in margine toto
Ingentes muros ſilveſtria ligna coronant :
Muros , qui ſolido conſtructi ex marmore frænant
Imperium ſpumantis aquæ, pelaguſquè coercent,
Neu ruat ulteriùs , totoſquè abſorbeat agros.
Pontus hic arboreus , ſilva hæc undoſa , perennes
Unde tot emergunt , qui per Calariſia prata
Perſpicui grato labuntur murmure , fontes,
Claſſibus aſſiduè ſquamoſis tota ſecatur ;
Nec timet ulla quidem Zanclæum tangere ſaxum,
Præcipitemvè Notum metuit nata æquore navis ;
Tutus enim piſcis , tendens ſua carbaſa pinnas,
Tranat aquas , liquidâquè omni regione vagatur ;
Atque modò placidus ſupremam navigat undam ,
Nunc petit antra levis ſub gurgite nota profundo;

Sed

Sed licèt horrendas cautes, ventiquè furores
Deſpicit, haud homines potis eſt vitare doloſos,
Cùm tenerâ dulcem guſtavit arundine fraudem.
Nec minus eſt undis campus quoque gratior ipſe,
Quem poſt terga lacûs, atque extra mænia rivis
Undique diſciſum paſſim hic errantia tondent
Armenta, & torvi pingueſcunt gramine tauri,
Externos mirare boves cervice recurvâ,
Innumeroſquè greges balantum: hìc fronte minaci
Percutit alterius frontem, luditquè per herbam
Hædus, & exultans ſequitur veſtigia matris.
Aſt ubi ſe paulùm contorquens cernere gaudet
Proxima jam pulchræ Calarîſi limina campus,
Surgere conſpicimus, ſpatioquè excurrere longo
Mænia, quæ liquidos fontes, & amæna vireta
Pomiferoſquè hortos claudunt. Cur Græcia mendax
Elyſii gaudet ſedes meruiſſe beatas?
Hìc datur Elyſium certè, ſemperquè recenti
Gramine vernat humus: ſemper florentia prata
Temporis ira colit, ſive urat Sirius agros,
Sive pruinoſam diffundat Aquarius urnam.
Pampineæ texunt frondoſa umbracula vites,
Pendenteſquè ipſis apianæ in vitibus uvæ
Invitant oculos, invitant undique dextras.
Fructibus eximiis pomaria tota videbis
Curvari, & ramis pendêre nitentia poma.
Arboribus pariter fæcundis omne viarum
Comptum cerne latus; verùm generoſa Philippi
Poſtha-

Poſthabuit ſoboles aliquando quod utile grato;
Namque vias etiam multas decoravit utrinque
Laurorum viridante comâ; nec pulchrius ullum
Ingredièris iter, nemora inter frondea quando
Læta cohors avium demulcent aëra cantu.
Hìc ſedet infelix virgo Pandione nata,
Antiquum memorans dulcis Philomela dolorem,
Nuncquè omnes latè fundit numeroſa querelas,
Nunc minuit, queſtuſqué iterum properante ſonoros
Voce refert, duplicatquè modò miſerabile carmen.
Tunc nemus omne ſilet, volucrumquè exercitus omnis
Ingemit, & ſociæ caſum miſeratur acerbum.
Hìc lauro ex viridi fontem manare perennem
Aſpicimus, fontemquè vocant de nomine Lauri.
Mira cano: dubitare nequis, cùm cernere poſſis.
Fons fluit ex lauro, ſitienteſquè irrigat herbas
Lympha cadens: dicam naturæ arcana potentis,
Signaboquè duas bis natus Apolline cauſas.
Pænitet heu! Daphnen quòd Phæbum fugerit olim:
Pænitet, atque latens duro ſub cortice Nympha
Effundit lacrymas, jam ſeri pignus amoris.
Altera (namque prior ſolùm placitura poëtis)
Eſt ratio, quòd aquæ vortex radicibus imis
Proximus exundans, per lauri viſcera tota
Ingreditur, truncoqué viam patefactus in ipſo,
Quà data porta, ruit: non durius arbore ſaxum?
Et tamen id penetrant, dulceſque ex rupe minaci
Sæpe cadunt fontes: cur ergo laurea ſcindi

Non

Non poterit lymphis, & aquas præbere fluentes?
Si fontes igitur plantis naſcuntur ab ipſis,
Quot producet humus? Paſſim decurrere cernes
Hinc,atque hinc placido humectantes gramina curſu:
Carcere marmoreo tandem capiuntur, & inde
Hellespontiaci per pinguia Regna Priâpi
Protinus effuſi decurrunt ordine grato,
Fæcundoſquè beant hortos, demùmquè relicti
Naturæ arbitrio per florida prata vagantur.
Dulcibus in ſtagnis totidem memorare Cayſtros
Quis renuet? Quando liquidas innare per undas
Cernitur inſani Princeps Phaëtontis amicus
Qui nive Sithoniâ plumoſos induit artus
Jam volucris, fatumquè videns inſtare ſupremum
Exequias celebrare ſuas numeroſa videtur,
Cùm moriens triſti reſonat dulciſſima cantu.
His etiam quandoque ſitim deponere lymphis
Vidimus Inachiæ cuſtodem virginis Argum,
Qui modò cæruleam tollens in vertice criſtam
Ales pulchra nitet caudam ſtellata ſuperbam;
Sed genus hoc volucrum nuper periiſſe dolemus,
Nec Calariſiadæ prolem renovare venuſtam
Funeſtò curant turbati pectora caſu:
Namque domi ſervata diu, vincliſquè retenta
Pava fuit, multùmquè gemens viduata marito,
Hunc ubi Palmellæ venientem à finibus altæ,
Cæruleaſquè omni ſimulantem corpore gemmas
Vidit amans, ſiſtit contrà, paulùmquè morata

Illum oculis luſtrat totum, & collapſa repentè
Occubuit tandem, & pennas moribunda tetendit.
At miſer, ut charâ ſpoliatum conjuge conjux
Se videt, ac ſociam crudeli funere raptam,
Ingemuit, tantumquè negans perferre dolorem,
Se ſuper exanimæ projecit corpus amantis
Jam moriens, clauſitquè æterno lumina ſomno.
Obſtupuêre omnes, circumquè cadavera mæſti
Profundunt lacrymas pueri, innuptæquè puellæ,
Et cuncti aligerum merito execrantur Amorem,
Crudeleſquè arcus, atque impia Numina dicunt,
Supremos avibus decernunt mortis honores,
Imponuntqué igitur pheretro, floreſqué recentes
Projiciunt ſuprà, flammiſqué ardentibus urunt;
At cineres ſervant, moriqué rubentis ad umbram
Quòd ſimile exemplum ferat infelicis amoris,
Subjiciunt ſaxo, tripliciquè hoc carmine ſignant.
   Heu! Jacet hìc Thisbe pennis, & Piramus alis:
   Quis tua tela modò fugiet, pharetrate Cupido,
   Quando etiam innocuas feriunt tua tela volucres?
Hunc igitur propter caſum Junonius ales
Non Calarîſis agros, & ſtagna argentea potat.
Verùm turba volans undis aſſueta natare
Conſpicitur, pelaſguſquè ſecat placidiſſima claſſis:
Prora caput, puppis cauda eſt, ſunt lintea pennæ.
Proxima ſtagnorum lymphis viridaria cèrnès,
Ridentem veris patriam, incunabula florum
Dulcia, odoriferum quæ ſic longè aëra reddunt,
Cen-

Cenſeat ut tanto perfuſus odore viator
Quòd pede thuriferas Arabum pulſavit arenas.
Hìc roſa, quæ primùm niveos induta colores
Matris Acidaliæ jam fulget ſanguine tincta,
In ſolio viridante ſedet, ſceptrumquè coruſcat
Florentis Regina plagæ: ſtant alba liguſtra,
Candidaquè in viridi collucent ſidera cælo.
Sanguineam indutus chlamydem pulcherrimus ille
Rupellæ princeps, regionibus advena noſtris,
Imperium affectat prati, bellumquè minatur.
Lilia ſtant circum, & niveos pudibunda miniſtrant
Auroræ calices, lacrymas ubi ponere dulces
Rite queat. Phæbo charus diſcoquè peremptus
Non Hyacinthus abeſt: virtutis præmia tolli,
Immeritiſqué dari fruſtrà monet ille furentis
Qui Telamoniadæ flos ortum à ſanguine ducit.
Audaces violæ cæli rapuere colorem,
Sequè igitur tuto foliorum tegmine condunt
Supplicii timidæ: ſed quis tot nomina florum
Percurret calamo? Deſunt quoque nomina multis,
Qui modò ab auricomis etiam venêre Batávis:
Hos tamen, atque alios Latiali voce carentes
Dividit, ac vallo exiguo tutatur odora
Myrtus, & in varias paſſim contorta figuras
Huc iter, atque illuc, detonſis undique ramis,
Exornat laté, ac nimium ſpectabile reddit.
Floribus impertit vitam fons, hujus amænæ
Qui medio inſurgit ſedis, niveamquè per ora

Marmorea effundit lympham, quæ irriſa vetuſtas
Naturæ leges, ipſum petit aëra velox,
Mox nimbo reſoluta cadit: mirabile viſu!
Tantum ſtruxit opus, Floræqué nitentia Regna
Addidit Antiſtes nuper Vimaranius ille,
Qui,poſtquàm Algarbi rejecta eſt Infula, poſtquam
Reſpueret Romanæ etiam ornamenta Tiaræ,
Contentus patriis opibus, Sponſâquè priore,
Maluit hic dulcem placidus traducere vitam,
Herôumquè ſimul numeros extendere claros
Sat meruiſſe tibi: minus eſt, præclare Joannes,
Conſequi;& eſſe magis,quàm Souſa,ô Souſa,nequibas.
Hìc inter denſas lauros tua præmia cernes,
Natura monſtrante decus, quo tempora ſacra
Noſter jure Tagus præcingi digna fatetur.
Ergo tuæ quoniam Calarîſis ad aurea tecta
Accedo, Vir magne, fores intrare ſuperbas,
Atque altas penetrare Domos nunc adnue Vati.
   Janua Barbarico diſſecta ex marmore duplex
Stat primùm, & Solem frondoſa nube repellit;
Namque latus ramis ſilveſtribus ornat utrumque,
Atque patens ſemper viridi ſub tegmine cunctos
Allicit, ut captent umbras, gelidamquè propinquo
Undam fonte bibant: mox atria prima tuendo,
Theſſala conſpicies Tempe, Pindi vè receſſus;
Nam Phaëtontiadæ frondentia brachia circùm
Expandunt, virideſquè inter ſtat fraxinus ulmos:
Grata oculis, veſtita hederis hinc concava rupes
Im-

Imminet, ac binos metuas ſub rupe leones;
Namque jubas criſpant: obliquis lumina flammis
Ardeſcunt longè; ſed vanum pelle timorem,
Nam lapide ex Pario liquidam conſtructus uterque
Ore vomit lympham, ſtagnoquè effundit aperto.
Fons alter vicinus adeſt, qui munera tota
Artis habet, pulchriquè ſitûs ſub fornice puras
Præbet aquas, præbet jucunda ſedilia feſſis.
Illico Pyramidum (ſileat Nilotica tellus)
Inclyta conſurgit moles; ſed vera quietis,
Pacis vera Domus jam nobis limina pandit,
Et tribus invitat portis, in culmine quarum
Irradiant Plagæ, Souſarum inſigne decorum;
Nam Calariſiadis quamvìs ſint ſtemmata Lunæ,
Souſiadis poſtquàm eſt Alphonſi immiſta propago,
Jure queunt uti, regali ſtemmate, Plagis.
Ingredere; at verò quid præceps tela, viator,
Quæris, & inſano meditaris vulnera ferro
Cervorum in turbam? Nullus de vulnere ſanguis
Exibit: nullus fugiet venabula cervus.
Naturam ſimulavit opus, arieſquè ligatos,
Præcipiteſquè velut fratres Actæonis illos
Continet æquatos numero, vitàquè carentes:
Sic verò artificis dextram rapuêre politam,
Ut canis hoc meritò expellatur limine, cervos
Neu ruat in fictos (nam ſolùm cornua vera)
Arboreoſquè artus, & lignea membra trucidet.
Jure ſuos igitur retinet Latonia virgo

Fune

Fune canes, ſaltumquè parans indagine totum
Cingere venatrix, candenti haſtilia ferro
Bina tenet,pharetramquè humeris ſuſpendit eburnam.
Retia ſtant circùm, & lato venabula ferro,
Lunatiquè arcus, & Gnoſſia ſpicula centum,
Rauciſonumquè unà cornu, quo Delia Nymphas
Convocat in ſilvis diſperſas cæde ferarum.
Ipſa pedem niveum ſuper horrens detinet apri
Diva caput: frontem ſecum ſpectabilis ornat,
Quippe Diana etiam Luna eſt, & Luna refulget
Illius in fronte; at quamvis tam proxima flammis
Candida membra tenet,crepitanti haud læditur igne;
Numen enim triplex pharetratæ virginis horret
Vulcanus ſubter poſitus, cui Souſia nuper
Egregium poſuit gens ſedem, & nocte camino,
Luce autem monuit venatu pellere curas;
Vtquè nemus gratum, pariter ſit grata petenti
Ipſa Domus: verùm patet hæc gratiſſima ſemper.
Hìc tibi ſi liceat, cernes cùm nocte ſilenti
Aſpera ſævit hyems, ætatis honore ſedentes
Souſiacos juvenes, quatuor radiantia Phæbi
Lumina, vicinis frigus depellere flammis,
Et vario longam noctem ſermone trahentes,
Quemque referre dies quot proximus ille cruento
Occiſas mucrone feras, fallacia quotquè
Viderit incautas veniſſe ad retia damas.
Hic memorat quantas roſtro, pedibuſquè rubentes
Dejecit volucres, canibus verò ille ſecutus

Quot

Quot fuit auritos lepores in pulvere narrat:
Jam vitam in ſilvis laudant tranſire quietam,
Atque urbis fugiſſe dolos, luxumquè ſuperbum.
Nunc magnum Lyſiæ Regem, Regumquè parentem
Auguſtum, extollunt ſublimi laude, Joannem;
Milite quòd campos, quòd claſſibus æquora victor
Inſtravit toties, regnandiquè arte magiſter
Non violare ſinit, decuit quas ponere, leges.
Illum etiam fraterna cohors, quòd pace clientes
Jam foveat longà, meritis quòd præmia digna
Objiciat velox, quòd Athenas reddidit urbem,
Regalemquè Domum ſignavit Palladis Aulam,
Concelebrant meritò: dignis quoque laudibus ipſum,
Tanti Regis opus, Mafræ mirabile Templum
Inſequitur: thalamos laudet mox quiſque paratos
Principibus noſtris, & mutua vincula fratrum:
Quin etiam auratos currus, pompamquè ſuperbam,
Conſpicuaſquè oſtro veſtes, auroquè rigentes,
Queis Carpetanos populos, Regemquè Philippum
Legatus petiit, titulo qui Abrantis opimæ
Irradiat, dubii num mente, aut ſanguine maior?
Mirantur latè juvenes: hinc vocibus offert
Materiam ingentem dilectus avunculus, ille
Caſtaliæ numeroſus olor, Tarouca, nivalem
Qui modò Danubium bibit, & præclara Viennæ
Incolit Auſtriacæ Legatus mænia Luſus.
Hìc inſignis avi, quo primùm Alegrettia proles
Cæpit ad aſtra vehi, pariter meminêre loquentes.

Ille

Ille Palatini Comitis per cærula natam
Flumen ad auriferum duxit, Petroquè ſecundo
Uxorem dignam thalamo, generiſquè venuſti
Fæcundam exhibuit matrem. Quis facta Joannis
Inclyta, quis poſſet jam penè in flumine merſum
Lethæo clarum penitus cognoſcere Regem?
Ni calamo tanti Scriptoris rurſus in orbe
Æternam acciperet vitam poſt fata ſuperſtes,
Et tali omnino Perfectus munere Princeps?
Poſt patrem egregium, nati meminiſſe videres
Souſiadas, laudemquè Viro præbere viciſſim,
Non quòd Legatus glacialem aſpexerit Iſtrum,
Teutoniciſquè Tago Reginam duxit ab oris
Felicem toties regali prole parentem:
Non quód magnifici Regis reſerare cubile
Clavibus auratis poſſit, cælivè micantis
Sidera cognoſcat, venturi haud inſcius anni:
Non etiam claras quòd ſcriptis reddidit Elvas
Ille ſuis; verùm quia ſic virtutibus hæret,
Ut vitam cælo dignam Telleſius Heros
Exigat, & meritò fugiſſe Palatia credas.
Materiam pariter verbis, & laudibus ipſi
Dant etiam chari Patrueles, gloria Luſi,
Nunus, & Emmanuel, magnæ ſpes maxima prolis.
Hic centena modò tradens epigrammata luci,
Ille regens nuper ſtudioſæ fræna Minervæ,
Quà Monda illuſtrem placidus beat Herculis urbem,
Cauſa fuêre Viris quòd nunc Academia tantis

Regia

Regia ſtellanti jam ſe ſe attollat Olympo.
Pòſt alii ſubeunt Proceres, qui Lyſia Regna
Sanguine, & ingenio decorant: Ericeira canorus,
Inclytus eloquio Fronteira, Aſſeca diſertus,
Progenies Regum, Valenſa, & patris imago
Filius; ambo lyrâ, inſignes virtutibus ambo.
Hinc etiam laudanda ſubit, quæ regia floret
Concio Scriptorum, quos propter Lyſia Reges
Noſtra ſuos credit remeare ad lumina vitæ,
Dum ſibi commiſſam Hiſtoriam, Xenophontis imago,
Quiſque dabit luci: annorum tumulata ſepulchro
Inclyta Lyſiadûm video jam facta meorum
Surgere, jamquè iterum calami virtute diſerti
Famæ implere tubas, totum celebranda per orbem.
Te, Barboſa, ſimul Souſarum docta corona
Laudibus attollit dignis, Academica quando
Gloria, te propter, gemino diffunditur axe
Aureus ille liber, quo Regni ab origine prima
Reginas Lyſiæ memoras, quæ cuique propago,
Unde genus, quantùm vitæ, quâ ſede ſepulchrum?
Caëtaniadum decus ò ſublime, futuris
Servabit memoranda quidem tua nomina ſæclis.
Inclyta quid memorem Divi Collegia Pauli,
Queis famam æternam, queis clarum nomen in orbe
Eximius præbes reſonâ teſtudine vates?
Atque novam, illorum referens numeroſus alumnos
Pallade conſpicuos, vel poſtea Marte potentes,
Concilias vitam: quâ dignus laude refulges,

C Cùm

Cùm Ducis interitum defles Sermone diſerto
Maximus Orator? tibi cedunt dulcia Vatis
Carmina Peligni, dum flebile barbiton urgens
Illacrymas magni Cadavalis funus acerbum.
Quis te præteritum linquet, dulciſſime Lima,
Regia centeno qui nunc Epigrammate pulſas
Limina, & Iſmarium ſuperans dulcedine Vatem,
Caïetaniacæ prolis, latéqué ſonantis
Aöniæ pariter ſacras moderaris habenas?
Nec Calariſiaci Fratres Tojalis acutum
Ingenium dignâ renuunt extollere laude.
Ille quidem Luſo, ſi Pulpita ſacra decôret,
Tullius ore ſonat: patrio ſi carmina plectro
Intonet, aut numeris decurrat vena Latinis,
Jurabis meritò Luſitanum eſſe Maronem.
Souſiadis etiam tardâ ſub nocte loquendus
Annibal ille Tagi, cui inventus Scipio nullus,
Objicitur Petrus, toties Calarîſia tecta
Qui petit, ut charis cum Fratribus undique ſilvas
Opprimat, inquè feris haſtilia dura cruentet:
Hoſpitis ergo ſui, magniqué Herois aduſtam
Qui Lybiam Mauro humectavit ſanguine quondam,
Virtutem extollunt juvenes: hic mænia Septæ
Se vetitum narrat fumantis mænia Troiæ,
Ni Petrus auxilio trepidis veniſſet Iberis,
Et Mahomettiadas ingenti clade repulſos
Victor Atlanteis penitus delêret in arvis.
Ille autem palmas memorat, devictaquè nuper

Præ-

Prælia, & Hiſpano ſpumantem ſanguine Bætin,
Cùm Luſitanas acies, flavumquè Britannum
Dux egit: meritis deerunt nec præmia tantis;
Nam qui Lyſiadûm tenet aurea ſceptra, Joannes
Non parvi fecit ſemper, ſemperquè profuſâ
Donavit dextrâ celebres quos vidit in armis,
Ingenio vè Viros: Maſcaregna inclytus ergo
Sandomilis erit primus Comes, atque ſupremum
Protinus Imperii capiet moderamen Eoi.
His Calariſiadæ ſpatioſam fallere noctem
Sæpe ſolent. O' miſſa polo radiante propago,
Quæ magnos celebrare Viros, non dente maligno
Carpere, nec turpem meritis imponere labem
Jure ſoles: numeris ergo mea Muſa ſonoris
Tequè, tuoſquè canet, ſed pulchra palatia primùm,
Quæ quatuor portis aperit prior Aula ſuperbis,
Nunc luſtrare ſinas, picturiſquè inclyta tecta
Inſpicere, & tectis poſitas ex ordine longo
Nunc quoque conſpicuas deſcribere poſſe tabellas.
Splendida magnifico nitet omnis Regia cultu;
Nam quidquid rutilis volvit Pactolus arenis,
Braſilico aut noſtræ portant ex litore naves,
Gemmifer aut Indus mittit, Sinæqué remoti
Subtili intexunt dextrâ, mirabere paſſim.
Omne pavimentum miro tegit ordine jaſpis
Arrabidæ portata jugis, ferroquè polita,
Quam lucem accêpit, laquearia ad alta remittit.
Souſia cùm veró poſuiſſet dextra Penates,

Æquatà tellure, omnes, foribuſquè pateſcant
Omninò paribus, tenebroſâ in nocte videndo
Undique cryſtallo incluſas ſplendeſcere flammas,
Aurataſquè Domos, Domuumquè nitentia latè
Ornamenta, equidem radiantis limina credes
Intraviſſe poli, ſedeſquè videre beatas.
Tantus ubique decor diffunditur, atque tuentis
Corda rapit! Niveâ ſurgunt ex jaſpide ſeptem,
Trigintaquè ſimul (numerum ſi quæris) & omnes
Nobilitant Aulas humano corpora vultu.
Artis opus mirum, cui dives filia Solis
Invidet; hæc etenim tantum modò in ora ferarum
Obtinuit mutare viros: hoc dura ſuperbit
In faciem potuiſſe hominum convertere ſaxa;
Vivere nam lapides jurabis, & intus habere
Quem primnm organici appellamus corporis actum.
Tantus in ore vigor, naturæquè æmula porrò
Artificis virtus per ſaxea membra refulget!
Hìc quos Roma tulit Dominos, mundiquè ſubacti
Imperium tenuere olim, vel Marte ſuperbos,
Vel pace egregios, multorum aſſurgit imago.
Dicam aliquos: neque enim numeris cōprēdere noſtris
Omnia, queis magnæ Calarîſis viſcera turgent,
Muſa poteſt. Tribuiſſe Probo loca prima videmus
Souſiadas, quoniam Domus hæc probitate refulget
Præcipuè, ac miſeros ſublimi protegit umbrâ.
Veſpaſianus adeſt palmoſæ victor Idumes,
Auguſtuſquè Titi genitor, ſimul ipſe cruento

Fi-

Filius enſe patet, quem propter ſanguine tinctam
Intumuit Jordanis aquam, campoſquè per omnes
Puniceo exundans infecit prata colore.
Ille Urbem evertit Sacram, miſeroſquè coegit
Judæos iterum Latiis parêre lupatis.
Helio ſtat gabalus, vitiis cui purpura tantis
Fædata, & ſcelerum caligine merſa Corona.
Conſtantine, autem ſtas contrà, fonte ſacrato
Qui fædum expellis morbum, non ſanguine fuſo
Infantûm, & primus tot Numina falſa Deorum
Reſpuis, ac veri ſequeris vexilla Tonantis.
Durus adhuc, quoniam lapis eſt; ſed durior olim,
Cùm matrem interimit(quod tantũ crimen abhorrens
Velavit natura oculos, monſtriquè pavore
Ipſe caput retro fugit Tyberinus in altum)
Stat Nero. Cæſar adeſt, tenuit qui primus habenas
Imperii, & poſtquàm crudeli morte peremptus,
Creditus eſt cælo ſidus radiare ſereno.
Hìc quoque Trajani, qui factus ab exule Princeps
Aſtræam mirè coluit, Pliníquè diſerto
Ore celebratus manſurum in ſæcula nomen
Obtinuit felix, venerabilis adſtat imago.
Quique moris Pænum perfregit callidus hoſtem,
Æquavitquè ſolo muros Carthaginis altæ.
Quique tot Hiſpano numeravit ab hoſte trophæa
Vertice Pyrenes; at Cæſaris enſe fugatus
Vincitur, & Phariâ tandem jugulatur arenâ.
Sylla potens, Mariuſquè ferox, qui colla Jugurtæ
Sub-

Subdidit, ac Cimbros domuit, totieſquè ſupremum
Conſulis accepit munus; ſed honoribus altis
Dejicitur tandem, & fortunæ verbera paſſum
Novimus in cæno profugum jacuiſſe paluſtri.
Híc ſocer,atque gener,quos propter aburbe Superbus
Miſſus in exilium, & Conſul pro Rege creatus.
Torvam Brutus adhuc faciem, vultuſquè minaces
Oſtendit, qualis ſtetit olim, crimine noto
Tarquinii thalamos auſi violare pudicos.
Cernitur infelix etiam Beliſarius, ille,
Juſtiniane, tibi qui tot Mavorte ſecundo
Perdomuit victor populos, Romamquè triumphis
Implevit toties. Proh inconſtans gratia Regum,
Fortunæquè dolus nimiùm ridentis, ut omnes
Protinus in miſerum ferales evomat iras!
Quis tacitum linquet Senecam? Doctiſſima proles
Souſiadûm, cupiens doctum celebrare Magiſtrum,
Egregium poſuit ſimulacrum: hìc magnus iniqua
Fata premit, dupliciſquè capit Vir munera vitæ,
Scriptis namque ſuis, atque ipſe in marmore vivit.
Hìc quoque Phidiacâ miraberis arte ſupremas
Temporis antiqui matronas, ære ſonanti
Quarum nomen adhuc commendat nobile Fama.
Inclyta, quæ prunas audaci devorat ore,
Porcia: quæ gemmam Regina liquavit aceto,
Romanoſquè timens ſecum decorare triumphos,
Pectore vipereos paſſa eſt interrita morſus,
Exanimiſquè oculos æternâ condidit umbrâ.

Ze-

Zenobiam aſpicies, lauro exornante coronam,
Quæ toties dextrâ regali haſtile cruentum
Evibrat, & palmam ſuperato ex hoſte reportat.
Conjugis exemplum caſtæ, Lucretia tandem
Surgit ovans, niveumquè patet ſub pectore vulnus.
His, aliiſquè ſimul ſplendeſcit compta figuris
Regia formoſæ Calarîſis; at undiquè totus
Veſtitur paries pictarum divite rerum
Munere, quo viſo, potuiſſet magnus Apelles
Frangere peniculum, metuens præconia famæ
Falſa ſuæ: tantùm nitido pictura labore
Imminet, atque artis faſtigia ſumma potitur!
Sex igitur mirare Domos, quas picta ſupellex
Braſilico latè ditat pretioſior auro.
Nomen cuique ſuum: primæ ſi agnoſcere nomen
Nunc optes, memori primùm tibi mente reſurgat
Ille inſanus eques, multo celebranda cachino
Cujus facta refert calamus Cervantis Iberi.
Hìc tantùm quinos licet aſpectare labores
Parrhaſii magni: verùm tria ſigna videnti,
Si mutare locum placeat, res altera viſu
Percipitur; quoniam ſpecies diverſa reſultat,
Atque oculis pariter diverſa apparet imago.
O facinus ſupremum artis, cui tota poteſtas
Naturæ devicta jacet! Res ponitur una,
Atque immota manens, variatâ ſede videntis,
Hæc eadem nobis alio ſe corpore monſtrat.
Quæ ſupereſt pictura duplex, fert altera navim,

Quà

Quâ Paris, hoſpitii leges violatus adulter,
Uxorem Atridæ rapuit, ſecumquè per undas
Attulit infelix miſerandæ incendia Troiæ.
  Altera fert etiam raptas ſine more Sabinas,
Dum Conſo feſtum ſimulat Romana juventus.
  Amphitrionadæ mox tectum inſigne pateſcit,
Vigintiquè ſupra quatuor depicta reſervat
Claræ dona manus: poſiti ſtant ordine Menſes,
Ac duodena ſimul, per quæ Sol aureus orbem
Signa regit, Menſiquè ſuo unumquodque benignos
Dividit influxus, cæleſtiquè irrigat aurâ.
  Parnaſum aſpicies contra, doctaſquè Sorores,
Intonſumquè genus Latonæ, ſemper amicum
Souſiadis Numen: ſtat celſo in vertice montis
Pegaſus; ex imà verò radice liquatur,
Purpureoſquè inter flores, herbamquè virentem
Dulcibus argentum Hippocrenes labitur undis.
  Aſpice noctivagam cælo deſcendere Lunam,
Velleris ut capiat donum, quod callidus offert
Pan, ovium cuſtos; nam tanta potentia donis,
Non ſolùm ut duras valeant perfringere cautes,
Aſt etiam cælo Lunam deducere poſſint.
  Fragrantem veris pompam, campique nitentis
Ornamenta vide duplici ridentia ſede,
Fictaquè poma ſimul, proprio quæ grata colore
Forſitan audebis deluſâ carpere dextrâ.
  Illico pampineâ dependens vite racemus
Certamen puero movet ingens, atque puellæ,

Dum

Dum ſibi quiſque petit gratiſſima dona Liæi,
Quæ, ſi cruda valent in pugnam armare puellos,
Quid parient decocta viris? Inſania vino
Tanta latet! Fugies, ſi non tibi prælia cordi.
 Mox bina egregius poſuit monumenta Philipus
Digna ſui, doctæquè manûs miranda reliquit
Munera, namque boves depaſci in gramine credes,
Atque equidem pingues errare armenta per agros.
 Tethyn concha vehit per cærula Regna vagantem;
Quaque autem placidas nova puppis navigat undas,
Æquora conſpicies ſpumoſo albeſcere ſulco.
 Proximus uxori niveæ Rex magnus aquarum
Quadrijugo vehitur curru: limoſa tridentem
Dextra tenet: variâ concharum ex prole corona
Æquoreo plenos muſco premit alta capillos.
 Hinc canis aſpicitur, quondam canis ille Melápus
Tam dilectus hero: præcingit guttura torques
Æreus: illum autem validus ſtridente catenâ
Turca tenet vinctum: ſtat nudus corpore Turca
Dimidio, tonſumquè caput tegit infula rubra.
 Alter adeſt etiam cultor Mahomettis iniqui,
Atque alium, pariter cui ferrea vincula collo,
Irrìtat, reprimitquè canem: non lethifer arcus,
Non abſunt illi celeres, ſua tela, ſagittæ.
 Acriſioniades horrendæ in colla Meduſæ,
Quæ ſibi ſaxificos pectit pro crinibus angues,
Fulmineam attollens Harpen, violata Minervæ
Ulciſci Delûbra parat: Caducifer adſtat

Supplicii teſtis: verùm Danaeïa proles,
Ne durum in ſaxum rigeat, dextræquè minantis
Vulnus inane cadat Phorcinidos ora videndo,
Obſcænum adverſâ meditatur in Ægide monſtrum.
Aſpice quàm pulcher pedibus talaria nectit
Filius ille Jovis, ferrumquè immane coruſcat.
Dum tamen effuſo dat Gorgon ſanguine pænas,
Vincta jacent ſomno languentia lumina fratrum.
Si verò effecti quia Templum Numinis auſa
Lædere, multatur crudeli fæmina morte;
Veri Templa Dei qui non veneratur, acerbo
Funere vult amens perituram abrumpere vitam.
Tertia Turcarum Domus eſt præclara tabellis,
Vigintiquè, unam ſupra numerabis, & omnes
Egregii pictoris opus, munuſquè ſupremum,
Quod Calariſiadûm tectis dedit inclyta Roma.
Quattuor hìc primùm ſpumantia fræna ſuperbi
Vix patiuntur equi, preſſiſquè feruntur habenis.
Tres horum à triplici vatis potiuntur alumno,
Illius inſani vatis, cui Meca ſepulchrum.
Quartus ab Æthiopis curâ ſervatur, aduſti
Æthiopis, tenebras qui poſtquàm noctis opacas
Traduxit membris, mox verſicoloribus atra
Barbaricum in morem redimivit corpora plumis.
Nigrum zona latus nolis reſonantibus urget:
Sic quondam celebres Italis regionibus audet,
O Paleſtrinæ Princeps generoſe, videndos
Quadrupedes pictura tuos apponere nobis;

Et

Et dominum quamvis alium videamus habere,
Non ſolùm antiquæ modò ſervant laudis honorem,
At geminant, quando Calarîſi quemque ſubactum
Cernimus,atque illis dominus pro Principe Princeps.
Mox duplici ſtatione patet per gramina quidquid
Producit florum ridentis copia veris,
Quæque etiam Autumno pendent ex arbore poma.
Hinc regio aſpicitur vario conſtructa locorum
Ordine : ſtant Valles depreſſæ, & flumina Valles
Proſcindunt medias placido labentia curſu.
Inſurgunt cælo montes, & rupibus altis
Mollia pendentes rodunt virgulta cappellæ.
Hoc quondam Latiis celeber Ticianus in oris
Pinxit opus, Domuiquè dedit Raſponis; ab illo,
Quem Patres inter decoravit Purpura ſacros,
Nunc Calarîſis habet, domino dilecta priori
Munera ritè colens, ſed doctâ quidquid in arte
Ingenium ſublime poteſt, virtuſquè colorum,
Jam patet, ulteriùs modò pergas; namque videbis
Integrat inſolito ut membrorum ſtamine corpus
Tempeſtas anni quadruplex, totidemquè puellæ
Cuique ſuum tenerâ gaudet componere dextrâ.
Ergo oleris quidquid Ver gignit, procreat Æſtas,
Fert Autumnus, Hyems producit, tota figuræ
Pangit membra ſuæ, perfectaquè corpora reddit.
Æſtatem cucumis, quo non bene veſcitur ille,
Qui cupit inſidias truculenti evadere morbi,
Conſtruit, atque manûs,digitorumquè inſtar adhæret.

Præcipuè Autumno, quæ in morem cuſpidis uva
Naſcitur oblongæ, dat formam; at Veris amæni
Perficit effigiem faba dulcis, quæque recenti
Cortice rapta nocet tuſſi, ſeniorquè medetur.
Aſt Hyemem raphanus præſertim format, acuto
Qui ſale ventriculi fermentum munit inerme.
Illico Souſiadûm depicta palatia monſtrant,
Ut ſtridente Noto, pelagiquè furentibus undis,
Nititur ad charum, ſed fruſtrà, emergere littus
Leander: ducebat Amor, periitquè procellâ;
Sed duce quid cæco poterat ſperare ſalutis?
Hoc tamen illius miſeram ſolabitur umbram:
Quod licèt extinctus venit tamen, atque petitâ
Jam voti compos jacuit projectus arenâ.
Stat Virgo infelix, ſolitamquè in turre lucernam
Oſtendit lacrymans: terret nox atra puellam,
Immanes terrent venti, caſûſquè futuri
Mens præſaga gemit dilecti funus amantis.
Fluctibus aſpicitur vaſtis inſurgere quique
Seſton Abydenâ Hellespontus ſeparat urbe.
Hinc quadruplex totidem vaſa profert omnia plena
Floribus eximiis pictura; ſed undique raptat
Sedibus in binis oculos pretioſa ſupellex,
Quæ procerum exornat limen: ſimul arma videbis
Inclyta, queis poſſent Cyclopum educta caminis
Cedere, vel cupias inimicum evadere ferrum,
Vel lethale hoſti pugnans infligere vulnus.
Mox duplici in tabulâ pictor nitidiſſima poma
Appo-

Appoſuit, diverſa tamen, ſi quæque ſequuntur
Sedulus agnoſcas; ſed jam Narciſus ab undis
Accipit inſolitam flammam, quantùmquè propinquat
Plus gelido fonti, tantùm magè carpitur igne.
Mentis inops, propriæ deluſus imagine formæ
Ingemit, atque umbram miſer amplexurus inanem
Præcipitatur aquis: umbram quoquè quærit inanem
Qui formam inſequitur demens, pariterque peribit
Ipſe olim mæſto lacrymarum in gurgite præceps.
Haud procul inde canũ, queis ſilvas pulcher Ephebus
Luſtrabat nuper ſalientis margine rivi,
Qui celſâ de rupe cadit, mox turba quieſcit.
  Pontificis Summi dictum de nomine tectum
Nunc ſequitur, quartum numero; diveſquè tabellis:
Triginta hìc oculos rapiunt, meritòquè coluntur
Conſpicuum Michaelis opus, clariquè Rubeni.
  Inachiis accenſa dolis Neptunia Troia
En iterum flammis deletur, & aëre vortex
Fumeus exundat: tolluntur ad aſtra favillæ:
Littore ſtat lacrymans Ledæ nitidiſſima proles,
Cauſa mali tanti, renuitquè aſcendere claſſem
Argivam, & pelago patrias remeare Mycenas,
Jure timens pœnam ſceleris, læſumquè maritum:
At circumfuſo Danäorum milite fertur
Ad naves, faciemquè novo ſuffuſa rubore
Sic nitet, ut Paridis ſit jam excuſabile crimen.
  Circus Agonalis, quem nunc vocat alta Navonum
Roma Forum, vanæquè premit miracula Memphis,

Se ſe oculis præbet mirandum, æquataquè cælo
Divæ Agnetis habes, ac Divi Templa Jacobi,
Quæ tenet Hiſpanus Romæ, dignoquè ſacrata
Proſequitur cultu: quæ celſa palatia ſurgunt,
Inſigniſquè Fori ſpatium tenduntur in amplum,
Condidit, atque ſuum ſoboles Pamphilia nomen
Indidit: in medio Circi tres ordine fontes
Cryſtallos fundunt liquidas, murmurquè nivale:
Angelus huic author nomen, Verninius illi
Impoſuêre ſuum; ambos autem tertius ævo
Exuperat longo; nam primis fluxit ab annis,
Priſcaquè naſcentis vidit cunabula mundi.
Hìc ingens populi concurſus: clara juventus
Comptis fertur equis: agitantur pulvere currus,
  Heu! oculos averte pios, dum candida colla
Sacrifico præbet mactanda Polyxena cultro:
Illa quidem colapſa ſedet, crineſquè ſolutos,
Nudatumqnè tenet pectus: quot queſtibus implet
Sidera! Quot lacrymis rigat os Priameïa conjux!
Non lacrymis verò Pyrrhus, non queſtibus ullis
Flectitur; ut parcat miſeræ, nollitquè paternos
Funere virgineo placatos reddere manes.
Dextra Sacerdotum pateris captare cruorem
Principis innocuæ curat, triſteſquè cupreſſi
Æacidæ magni cingunt monumenta ſuperba.
  Filia Caſſiopes ceto, mortiquè parata,
Et medio undarum ſævis religata catenis
Ad ſcopulum vanæ ut perſolvat crimina matris,

Non

Non pietate magis digna eſt, nigriquè parentes,
Littore ab averſo crudelia fata puellæ
Dum videt, atque ipſum lacrymoſis imbribus æquor
Quiſque auget, precibuſquè ſuis pia Numina flectit;
Nam ſuper aligerum pluvio generatus ab auro
Quadrupedem apparet juvenis, monſtroquè voraci
Oſtendens deforme caput, vultumquè Meduſæ,
Vitam adimit generoſus eques, tantoquè periclo
Eripit Andromedam: verùm ſi criminis expers,
Cur non auxilium cælo ſperaret ab alto?
Virgineum polluta chorum Tegeæa lavâcro
Pellitur à caſtâ, nemorum cultrice, Dianâ:
Signa dolentis habet Caliſto; at Cynthia vultum
Iratum oſtendit meritò, cùm lege pudoris
Infractâ, & tumido perjura Lycaona ventre,
Ipſius ante oculos ſacro ſe in fonte lavaret.
Lucus adeſt nimiâ laurûs, atque illicis umbrâ
Obſitus, & Cancri numquàm penetratus ab æſtu.
In medio denſi nemoris circundata fagis
Cernitur unda fluens, quò Diva innupta calorem
Venit ut æſtivum fugeret, comitemquè profanam
Expulit: illa autem jam fulget ſidus Olympo,
Inviſâquè etiam Junone, immergitur undis.
Horrida tempeſtas navem, quæ Regna ſecabat
Humida, contendit nunc alto impingere cælo,
Nunc Phlegetonteis miſeram detrudere ripis.
Fluctuat illa timens fortunam æquare ſiniſtram
Alterius, nuper quæ ſævo naufraga ponto:

Pars

Pars verò ilius lacerata huc fertur, & illuc
Horriſonos inter fluctus: ſunt littore montes
Abrupti, vileſquè caſæ juga celſa tenentes
Æquoris illudunt, felicia tecta, furores.
Latmius hinc paſtor dulci dat membra ſopori,
Idaliuſquè puer, digito ſuper ora locato,
Admonet, ut caveas placidam turbare quietem,
Dum niveis Phæbe charum Endimiona lacertis
Cingit amans. Cælum pro amplexu Delia molli
Deſeruit demens: non parvo gaudia vana
Emit, & illius quàm multi exempla ſequuntur!
En nova progenies avium per nubila pennas
Explicat, & fugiens Minoïa Regna, Sicanum
Littus adire parat: demiſſius aëre fertur
Dædalus, at natus plus patre aſcendere curans
(Communis natorum error) petit ardua demens.
Mærentem credes genitorem, ut celſa volatu
Icarus inſolito quærit, Solemquè propinquum.
Jamquè liquata fluunt alarum cerea vincla,
Compagoquè perit plumoſa, & lapſus ab alto
Dat puer Icario tandem ſua nomina ponto.
Attonitus piſcator hiat, tantumquè coloni
Attoniti ex Siculo mirantur littore caſum.
Præcipitem ſequitur præceps; nam protinus ille,
Qui malè ſuſcepit patrii moderamina currûs,
Solis ab axe cadit, fluviiquè binominis undâ
Cernitur ardentes cum vitâ extinguere flammas.
Jupiter eſt oculis horrori, fulmina torquens

Auda-

Audacem in juvenem:fumat Padus,atque per omnem
Agricolæ pavidi ripam obſtupuere virentem.
Non ergo maiora petas, quam viribus audes,
Ne tibi ſupplicium, capias quem indignus honorem.
Memnonis apparet mox nigri candida mater,
Quadrupedeſquè citos roſeis invecta quadrigis
Dirigit, ut Cephalum rapiat, ſecumquè per auras
Ducat amans: verùm ſilvis aſſuetus opacis
Abnegat Æolides radiantem aſcendere currum,
Præfixumquè toro ſociali abrumpere fædus.
At renuit fruſtra, nec inevitabile telum
Profuit, aut Lelaps, quamvis nemus omne latratu
Terreat, & lateri numquàm ſecedat herili.
Jupiter iratus terris ſua fulmina mittit
Nube ſedens, infraquè Jovem crepitantibus auſtris
Orbis in exitium totas immittit habenas
Æolus; at juxta Hippotaden lenire furentes
Verſicolor curat Thaumantis filia ventos.
Læſa furit Juno, cauſamquè videre doloris
Inviſam quærens, cælo ſe mittit ab alto.
Nube velut ſolio vehitur Regina per auras,
Pavoneſquè ſui Divam comitantur euntem.
Duplex parvus Amor Regi omnipotentis Olympi
Proximus: hic aquilæ ludens ſe imponere gaudet:
Nuntiat ille Jovi venientis conjugis iram:
Cælicolûm verò Princeps, Saturnia proles,
Ne toties thalami violato jure, dolentem
Germanam reddat, dilectæ pellicis ora,

Conjuge deceptâ, convertit in ora juvencæ,
Pallenteſqnè herbas infelix ruminat Jo.
Auguſtam frontem, maieſtatemquè benignam
Aſpice Pontificis, cùm tot labentibus annis,
Exoptata quidem Sanctæ Diplomata Sedis,
Ut Fidei poſſit Luſus reſerare Ttibunal,
Egregio tradit Ludovico: hic poplite flexo
Accipit inſignis Præſul, Lamecia primùm
Infula cui decorat frontem, mox Brachara dignum
Vidit herum, vidit Paſtorem; & gloria Luſi,
Gloria Souſiadûm, mente, ac virtutibus altis
Romuleam penitus miratam reddidit urbem,
Atque Viri tanti gemuit ſnb pondere Tybris.
Ille, decus ſummum Patriæ, primumquè Minervæ
Enituit quondam, nimiùm juvenilibus annis,
Sidus apud gelidi labentia flumina Mondæ,
Dum ſacra Purpureus Doctor Collegia Pauli
Accolit, & toties Sociorum flectit habenas.
Tanto exultat adhuc felix Sapientia nato,
Inquè ſuis meritò Ludovici nomina faſtis
Aurea venturis ſervabit litera ſæclis.
Pulpita quis coluit facundior? Ille diſerto
Tullius ore fuit, patriæquè exempla Magiſter
Dat vocis; nec gaza ſuis Sermonibus ulla
Plus Calarîſiacos decorat pretioſa penates.
Conſilio fulſit Patriam, Regiquè potenti
Quot reſponſa dedit, tot ab ore oracula fudit.
Legatus Romam petiit, cordiquè duorum

Pon-

Pontificum gratus ſedem potuiſſet habere
Purpureos inter Patres ; ſed norma clientum ,
Abnegat oblato fungi Ludovicus honore ,
Ni primùm Regis pateſiat ab ore vocatus
Ipſe ſui , tantùm placuit reverentia ſceptri !
At , ſi non tenuit , celſum meruiſſe negabit
Nemo locum: ſoboles igitur Calarîſia ſemper
Præclaris fæcunda Viris , hoc denique nato
Poſtquam orbi famam , laudes æquavit Olympo ,
Jam decoris ſummi metam tetigiſſe fatetur.
Nec , Ludovice , tibi numeroſus defuit Author ,
Qui Trifavo dulci reſonans tua nomina , Præſul
Inclyte , virtutum poſuit monumenta tuarum ,
Æternùm manſura quidem ; nam Phæbus Eoo
Dum ferat axe diem , dum gurgite condat Ibero ,
Poſteritatis erit memorandum ſemper in ore
Quod , *cecinit Macedo cigni morientis ad inſtar.*
Dianæ auxilio deludit caſta Coronis
Laſcivum pelagi rectorem , qui æquore currum
Deſerit , ut turpes ſedare in littore flammas
Pectoris ardentis , compreſſâ virgine , poſſet.
Illa autem celeri plantâ, & naſcentibus alis
(Namque in cornicem paulatim vertitur atram)
Bis volat , atque fugax ſpumoſo Nympha tyranno
Irarum exagitat fluctus. Gens accola ponti
Attonitum profert vultum ; ſed verſa puellæ
Corpora non equidem miratur , at eſſe pudorem ,
Quem non proſtituat Regum veſana libido.

Aëriæ Regina plagæ, fulvuſquè Tonantis
Armiger, ecce rapit Ganimedem ad ſidera pulchrum,
Ut Jovis in menſâ fragrantia nectare ponat
Pocula: Spiletto, pariterquè Baguina latronem
Aligerum terrêre parant, dominumquè tueri
Latrantes ſilvis, quas tunc, Spelæa ferarum,
Perdere conſtituens, juvenis formoſus adibat.
Nobilis Ida patet Junoni inviſa ſuperbæ,
Et pueri raptum teſtis nemoroſa fatetur.
Sed quo forma locò poterit vitare periclum,
Si denſi haud proſunt ſaltus, nemorumquè receſſus?
Infelix Dido, poſtquam dare vela per undas
Aſpicit Æneam, perfractaquè fædera dulcis
Connubii, Teucrum vaginâ liberat enſem,
Atque latus tenerum lethali perforat ictu.
Tradita jam flammis ſurgit pyra, & unguibus ora
Deturpat ſenior Barce, cunctiquè ſuperbæ
Cultores Aulæ triſtem miſerantur Eliſam.
Quin etiam fulget picturæ in vertice Juno,
Atque Irim cælo mittit, vitæquè ſecare
Fila jubet miſeræ, breviori ut morte quieſcat.
Bis fuit infelix: primùm pereunte Sichæo,
Protinus Æneâ fugiente; at fata rependens
Bis pariter felix Dido; nam dulce Maronis
Obtinuit carmen, meruit quoque Souſia tecta
Inter conſpicuas ſemper coluiſſe tabellas.
Divi cerne Forum Petri, Templumquè decôrâ
Fronte patens: Quinti perfecit dextera Pauli.

Regia

Regia Pontificum, Vaticani aurea ſedes
Enitet, ac Sixti, quod ſidera tangit acuto
Vertice, ſurgit Opus: ſimul hìc præclara Columna,
Cujus Alexander fundamina celſa locavit.
Octavi, ac Decimi Clementis munera, fontes
Emanant puri, ſed quidquid denique campi
Reſtat adhuc, implent currus, famuliquè nitentes
Veſtibus auriferis, quam pompam ferre ſolebat,
Pontificem quando Lyſiæ Legatus adibat,
Qui peperit Souſis ſummum Ludovicus honorem.
Pyramus, & Thisbe, gladio confoſſus uterque,
Corda movent. Crudelis Amor, ſi talia donas
Præmia militibus, qui ſunt tua caſtra ſecuti,
Solùm inſanus homo pharetrati miles Amoris.
Tincta cruore jacent pulchræ velamina Thisbes;
Cauſa necis juveni, ſilvam leo fulvus opacam
Quærit, ut in liquidi fontis, quo curſus amantum
Pactus erat, fauces arentes leniat undâ.
Sanguine diffuſo morus, quæ proxima fructus
Edebat niveos, jam cogitur edere rubros.
Dura procella quatit pontum, cæloquè minatur
Unda furens: vaſti crebreſcunt littore fluctus:
Attamen iratum pelagus temeraria pinus
Navigat (ô hominum ambitio! Sit piſcibus æquor,
Terra viris) aliam ſcopulus perfregit iniquus.
Lumina dat placido Cypri Dea candida Somno,
Lumina, quæ binos claudunt ardentia ſoles;
Sed Satyrus (Divam parvi comitantur Amores)
Cæleſti

Cæleſti captus formâ velamina curat
Tollere paulatim, neu dulcem dextra ſoporem
Rumpat, & ut meliùs pateſiant Numinis ora.
Ruſtica non multùm diſtat ſub tegmine fagi
Fæmina, cumquè alio ludit, vilemquè choream
Exercet Satyro: Satyros ſaltare decebat
Montibus, & morem Satyrorum jam urbibus ætas
Noſtra tulit: torpent dextræ, gladioquè rotando
Ars ſilet, atque pedum celeres apponere motus
Edocet: ô miſeri, quæ tanta inſania, cives?
Umbroſo in luco Faunis ſtipata Dione
Cernitur, atque illi præciſum ex vite racemum,
Quem ferat aligero genitrix Amatunthia nato,
Quidam offert: ſit parva licet, gratiſſima ſemper
Munera, & oblatis gaudent quoquè Numina donis.
Protinus ardenti bello tutamina fida,
Thoraces, galeæquè micant: ſimul arte videbis
Pauſiaca ſtrictos enſes: ſi pocula verò
Aurea cur inter ſtent arma horrentia quæras,
Cauſa patet, quoniam victori prælia ſemper
Divitias peperere ſuo, ferrumquè cruentum
Poſt palmam, in fulvum Ducibus convertitur aurum.
Filius Alcmenæ curvatus pondere cæli
Ingemit; huic latos humeros, villoſaquè membra
Pellis obit, quondam Nemeæo avulſa Leoni.
Nobilis Euclides, ſphæræquè inventor, in urbe
Ille Syracoſiâ ſævo jugulatus ab hoſte,
Hìc adſunt, & quiſque loco diverſus eundem

Obſer-

Obſervare globum, qui mundi apparet imago,
Intendunt, orbemquè ulnis pervadere totum.
O mentes hominum audaces, vaſtiſſima terræ
Corpora metiri magnum eſt; at ſidera cæli
Rimari, & penitus fluidum cognoſcere Solem,
Digerere in numerum ſtellas, & ſæpe futuros
Aſtrorum ex vario aſpectu prædicere caſus,
Eſt equidem humanæ fiducia maxima mentis.
Floribus eximiis topiaria plena videbis,
Imperium Floræ mendax, fictiquè theatrum
Veris, ubi in varios detonſa extenditur orbes,
Atque vias munit viridi tutamine myrtus.
Sedis odoriferæ medio candentia vitra
Franguntur liquidi fontis, circàquè fluentis
Murmur aquæ, quicunque viri jentacula mandunt,
Vadentes forſan locus invitavit amænus.
Caucaſiæ apparent rupes, audaxquè Prometheus
In pænam ſceleris ſcopulo religatus acuto.
Cerne facem cælo raptam, quâ primus in orbe
Illuxit quondam ignotus mortalibus ignis.
Ah! meliùs fuerat peſtem latuiſſe voracem:
Non mare, non tellus naves, urbeſquè doleret
Ignibus aſſumptas; nec dura in prælia Mavors,
Cùm ſatis ad cædes hominum tot tela, tot enſes,
Quæreret ignis opem: luat ergo inventor iniquus
Supplicium audacis dextræ, pectuſquè cruentæ
Det volucri; deſint nec adunco pabula roſtro;
Quidquid enim carpat ſub luce, in nocte renatum

Inve-

Inveniat, dura ut creſcat cum pectore pæna.
Quæ fulgent auro veſtes, oſtroquè decôræ,
Gallica fecit acus: mirare, ſed effuge, noſtram
Nam Lyſiam invaſit peregrinis luxus ab oris.
Jupiter indomiti ſimulatus corpora tauri
Europamquè vehens ſpumantes dividit undas.
Reſpicit illa patris Regnum, charoſquè penates
Illacrymans, molliquè manu lunata prehendit
Cornua raptoris: quàm multis queſtibus implet
Æthera virgineus Sidonide cætus arenâ!
Quàm nimias fundit lacrymas! Oculiſquè per æquor
Virginis inſequitur Dictæa ad littora curſum.
Carpit iter liquidum taurus, prædâquè venuſtâ
Pontum ſulcat ovans: it circà vulgus Amorum
Aliger: ex humero Coritus pendet eburnus;
Atque ut Agenoreæ ſuſpiria mæſta puellæ
Leniat, & pariter cæco Jovis ardeat igne,
En puer ex illis pharetratus ſpicula torquet
Aurea, quæ niveum deguſtant vulnere pectus
Virginis: illa quidem ſic ſaucia cedet amori;
Nam ſi auri virtus Tarpeiam ſubdidit arcem,
Pectore cur illam contemnet fæmina molli?
Filia Solis adeſt, ſolioquè locata ſuperbo
Fatalem dextrâ virgam tenet, atque ſiniſtrâ
Noxia facundo dat Circe pocula Graio;
At ſoboles Maiæ, neu dira venefica magnum
Laertis perdat natum, quodcunque veneni
Eſt latici, tollit penitus, purumque relinquit.

Par-

Parte aliâ horrendum viſu mirabere monſtrum,
Namque caput ſpumantis apri jam carmine Circes
Humanam incipiens paulatim amittere formam
Induit infelix ſocius pellacis Achivi.
Auribus obſtructis comitum, maloquè ligatus,
Ne puppim in ſcopulos Sirenum impingat Ulyſſes,
Æquor arat Siculum: ſtant celſâ in rupe ſorores
Fundentes dulcem crudeli è pectore cantum;
Aſt Ithacus blandâ fruitur dulcedine vocum,
Illuditquè dolos divinâ Palladis arte.
Fæmineis igitur ſi obſtructam vocibus aurem
Obtuleris, malo vè animi prudentis adhærens,
Sirenum quamvìs reſonent modulamina, pergas;
Tutus iter curres, nec ſaxa Cupidinis unquam
Te perdent, capietquè optatam puppis arenam.
Curriculo vehitur patrias Galatea per undas,
Curriculo ex conchis facto, Nymphamquè ſequuntur
Naïades; at Cyclops præacuto in vertice rupis,
Quà fertur Galatea, oculis quoque fertur, & illam
Reginam pelagi, Numenquè extollit aquarum.
Barbarus ardet amans: lateri ſtat ruſtica pera,
Pinus trunca manu, de collo fiſtula pendet,
Quam, Nymphæ ut placeat, mox immani applicat ori,
Horrendumquè parit ſonitum, quo pontus in undas
Criſpatur ſubitò, tremuitquè Sicania tellus.
Quinta Domus ſcribenda venit, cui prælia nomen;
Bis duodena autem dant veſtem ſigna decôram:
Portus Ulyſſis adeſt, nunc Pali nomine notus,

Sedes tuta ratum , nam curvo in littore ſurgit
Arx bello munita ſatis, juxtaquè triremes
Exponit , recipitquè viros fulgentibus armis.
Urbem , quam dicunt Veterem , priſciquè vocârunt
Trajani portum , magis autem eſt nota ſuperbo
Nomine Cellarum centum , ſimul ipſa tabella
Oſtendit ; verùm ſpatio ſtat diſſita longo.
Manſueto Delphine ſedens vocalis Arion ,
Percutienſquè lyram , Neptunia proterit arva:
Dulce melos ipſi fluctus , piſceſquè ſequuntur
Attoniti ; & blandâ vincîtur compede ventus.
Cerne ratem, nautaſquè truces , queis dira cupido
Suaſit propter opes cumulatas arte ſonorâ ,
Dulciſonum jugulare virum. Tibi tutius æquor
Nave fuit , vitamquè , homines, quam perdere curāt,
Commoti piſces , fidicen numeroſe , tuentur.
Invidiam metues , nam proræ navis adhæret
Sanguineos volvens oculos , vultuquè minaci
Terribilis. Durum meritis ſtat ſidus acerbo
A livore ſequi , & morſus tolerare cruentos
Invidiæ fædum ſpargentis ab ore venenum.
Quis tantus populi concurſus littore pulchro ,
Diverſæquè habitu gentes ? Quot arena carinis
Dat ſedem, & naves unco premit anchora morſu?
Inclytus Italiæ ſi portus , non nè Liburni
Portus hic ? eſt equidem , ſolido nam ſtructa metallo
Cernitur effigies Magni Ducis , atque ſubacta
Turcarum quatuor præduris corpora plantis

Oppri-

Opprimit. hìc etiam ſimilis fons uber aquarum
Effluit, ac verum ſimulat ſic fictus, ut urbi
Avulſum Auſoniæ veniſſe ad Lyſia Regna,
Et Calariſiadûm humectare palatia dicas.
Aſpera conſeritur bellaci milite pugna,
Mavortemquè cient litui: ſtat fronte cohortis
Ductor quiſque ſuæ gladio metuendus, & haſtâ.
Vulnera dant ferro, & pulchram per vulnera mortẽ
Sollicitant: fuſo nigreſcit ſanguine campus.
Crypta merum venale offert ſub rupe cavatâ;
Nec pauci obſcuram gaudent intrare tabernam,
Bis genitiquè Dei ſpumantem haurire liquorem.
Hic emit, ille bibit lætus: nam pectora curis
Liberat, atque animum recreat Semeleïa proles.
Turba viatorum (pedibus pars altera fertur,
Altera fertur equis) veniens ad vilia tecta,
Quæ Cereris donum, quæ Bacchi munera vendunt,
Ante fores variis exercent corpora ludis:
Hic canit, ille ſalit, laxatquè labore laborem;
Aſt alius cytharam reſonanti pollice tangit.
Adverſas acies ſtricto concurrere ferro,
Multaquè crudeli proſternere corpora letho
Mox cernes: fulgens gladiis, criſtiſquè decorus
Quiſque ducum, vitæ contemptor, fertur in hoſtem.
Claſſica belligero latè reſonantia cantu
Mavortem accendunt animis: per tela, per enſes
Quiſque ruit: tanto dulcis ſtat gloria palmæ!
Lenæi effigiem nemora inter denſa locatam

Concelebrant Satyriquè leves, hominumquè corona,
Cæmineumquè genus: ſalit hic, bibit ille rubentem
Ore Deum: augetur plauſus, feſtumque Lyæi;
Namque urgens pontem, qui ſedem ad imaginis ipſá
Rectum pandit iter, lætiſſima turba virorum
Advenit, atque manu virides fert provida ramos;
Gaudet enim ramis Bacchus, vel quippe Falernum
Venire oſtendunt laticem; vel quippe triumphos
Commemorant priſcos, cùm toto Oriente ſubacto,
Indomitas tigres ſinuoſis duxit habenis.

Largitur puro frondoſa umbracula fonti
Vallis, ubi ardentem lymphis immerſa Diana
Pellere conatur, Nymphis comitantibus, æſtum.
Inſcius Actæon, poſtquam non pauca ferarum
Corpora fudit humi, ſaltuſquè indagine cinxit,
Ut premat unda ſitim, defendatquè umbra calorem,
Advenit, atque oculis Divam mortalibus audet
Cernere nudatam, comitumquè nitentia membra.
Terrentur viſu ſubito: pars quærere veſtem,
Pars ſociæ poſt terga latet, pars ſternitur undis,
Orequè purpureo flaventes ditat arenas.
Verte gradum, infelix juvenis, curſuquè citato
Effuge: quem viſus non perdidit ipſe profanus?
At Dea terribili vultu, ſua Numina credens
Læſa, novam ſumit miſero ex Actæone pænam;
Nam modò qui cervos lucis agitabat opacis
Venator, ſubitò fit cervus: cornua ſurgunt
Arborea, & pariter manibus, pedibuſquè cucurrit

Per

Per nemus umbriferum fugiens; ſed turba latrantum,
Ut prædam inſequitur dominum, tandemque cruento
Dilaniat penitus miſerandum Actæona morſu.
Frondoſum clari certaminis Ida theatrum
Mox patet: hìc ingens cætus, populiquè corona
Judicium ſpectat Paridis, formæquè triumphum.
Stat Paridem juxta Cyllenius, ille Deorum
Nuntius, æthereo qui venit miſſus Olympo,
Paſtorem ut Phrygium moneat decernere litem.
Pallas, Juno, Venus, certantia Numina, pomum
Quæque ſibi meritum cenſet; Priameïus autem
Filius aurato Cythéream munere donat,
Et palmam egregiam tandem Venus alma potitur.
At Pallas, celſiquè poli Regina furente
Oſtendit vultu, qualis dolor intima pulſet
Pectora: pungit eas contemptæ injuria formæ:
Aſpera cui verò non eſt injuria vinci?
Belligero Mavorte ſatum, qui mænia Romæ
Condidit, aſpicies regali ex ſede jubentem
Ut, quæ connubii renuerunt fædera nuper,
Eſſe tori ſocias cogat vis dura Sabinas.
Jam que ruit miles: lacrimas hæc fundit inanes,
Illa autem fruſtrà collo genitricis adhæret:
Hæc fugit, incaſſum verò fugit: illa paternam
Irrita quærit opem: reſonat clamoribus æther:
Diffugiunt mæſti patres, ipſumquè Tonantem,
Canitiem fædo turpari crimine, leges
Hoſpitii frangi, teſtantur: at undique matres

Atto-

Attonitæ Ludos Circi execrantur, & urbem
Latronum incuſant ſedem: ferit aurea queſtus
Sidera fæmineus: deturpant unguibus ora,
Abſcinduntquè comas, & pænam à Numine poſcunt.
Quod votis optatis, adeſt; gaudete, parentes;
Nam quæ præda modò, mox fiet pæna marito;
Nec reor aſſiduâ maiorem conjuge pænam.
  Vulnera, queis Argas Tancredum affecit amantem,
Hermineam cogunt Mauruſia linquere caſtra,
Et ſe Chriſtiadûm turmis inferre ſilentem,
Ut juveni charo dextrâ medeatur amicâ:
Ne tamen agnoſci bellatrix poſſit Amazon,
Clorindam ſimulat, Clorindæquè induit arma.
Sed finem intentum nequiit pertingere; namquè
Impatiens fræni ſonipes diverſa petivit
Arva ferox, curſumquè citum convalle virenti
Detinet: hìc paſtor fiſcelam vimine texens,
Miratuſquè novæ radiantia Palladis arma,
Hermineæ hoſpitium, parvoſquè intrare penates
Offert: illa ſeni grates agit, illa quieti
Laudat ruris opes, nemoraliſquè otia vitæ.
Tres prope paſtorem nati, queis cura paternos
Cuſtodire greges, humilis ſtant limine tecti.
Lanigeræ paſcuntur oves in gramine vallis,
Quam ſacer humectat fluvio Jordanis amæno.
  Renaldum ſomno immerſum, qui vincula nuper
Solverat, & fugiens magicas illuſerat artes,
Armidæ rapiunt famuli; curruque potenti,

Cur-

Curru, qui vaſtam liquidi ſecat aëris oram,
Imponunt properè, gladio, parmâquè relictis:
At verò exultans, ut prædam Armida recêpit,
Pungit equos, ſcindit ventos, & nubila tranat.
Sede patent duplici varia ornamenta domorum,
Ac procerum veſtes ſarrano murice tincta,
Atque auro intextæ: ſit pictis veſtibus aurum:
Non hominum veſtes fulvos ſplendere metallo
Luxus agat: perdit jam ferrea ſæcula luxus.
Spumea deformis Triton inviſere Regna
Formoſam invitat Paphiam, glauciſquè lacertis
It roſeæ amplectens candentia pectora Divæ.
Poſt Venerem incedunt Charites, phorciſquè ſedētes
Per mare cæruleum matrem comitantur Amoris.
Aligeri circùm pueri: pars aëre fertur,
Pars verò, pharetris pendentibus, innatat undâ.
Semifer it præco, primuſquè ex agmine toto
Invehitur ceto, concham inflans ore ſonanti,
Adventumquè Deæ vaſto facit æquorè notum.
Vindicet ut fratres occiſos funere ſævo,
Dat flammis Althæa facem, cui annexa manebat
Nati vita ſui; lethalis at ille doloris
Volvitur impatiens, in matremquè æſtuat irâ,
Illa quidem mater naturâ, at corde noverca,
Ne lethum aſpiciens nati miteſcere poſſit,
Inceptæquè modò vindictæ imponere frænum,
A miſero avertit Meleagro lumina torva,
Atque necem juveni, cui præbuit ubera, præbet.
Haud

Haud procul inde jacent tria fæda cadavera tabo :
Germani Althææ fuerant : viliſſima pellis,
Cujus eos tetigit rapiendæ prava cupido,
Ut Meliagræâ periiſſent cuſpide, cauſa.
 Infelix Titius cauti religatus Avernæ
Stat pænæ impatiens ; nam roſtro vultur adunco
Immortale jecur laniat, fibriſquè renatis
Paſcitur aſſiduè : tanto Rex altus Olympi
Supplicio affecit miſerum, quòd Apollinis almi
Cæleſtem voluit matrem violare protervus.
 Protinus umbroſæ valles, campique patentes
Aſpectum objiciunt gratum : per gramina velox
Turba canum ſequitur magnis latratibus urſum.
Venantes currunt equites, urgetquè furentem
Quiſque feram jaculis ; verùm hæc vitare periclum
Curat, & injectas perfringere dentibus haſtas.
Quid tibi blanditiæ profunt, curſuſquè citati
Queis, Phæbe, Idalii pueri calefactus ab igne
Inſequeris Daphnen fugientem ? namque prehendi
Ut virgo aſpexit, captæquè pericula formæ
Agnovit, Superos orat, liquidumquè parentem,
Ut ſervare velint turpi ſine labe pudorem
Virgineum, quamvìs morti ſuccumbat acerbæ.
Audivere polo caſtum pia Numina votum :
Pes radix, folium crinis, ſunt brachia rami ;
Et tota in viridem laurum converſa triumphos
Primum Nympha ſuos ſtat ſignans fronde ſacratâ.
Filius hanc Veneris ſummo de vertice carpit,

Intonſiquè Dei radiantia tempora cingit.
Nec procul hinc natæ caſu ſtupefactus acerbo
Peneus conſpicitur, ſoboles argentea Pindi,
Ac vitreâ lympham ſpumantem effundit ab urnâ.
Alma Venus flagrans inſano Martis amore
Belligerum invitat Numen, roſeoquè precatur
Ore ſuos placeat nunc hoſpes adire penates.
Stat circa Æneæ genitricem armata pharêtris,
Alis pulchra, cohors puerorum: hi brachia tendunt,
Amplexuquè Deæ gaudent: illi arma cruenta,
Queis fera terribilis committit prælia Mavors,
Haud horrent tractare manu, luduntquè frequentes.
Quidam autem Paphiæ oppoſitum velamen amicâ
In latus avertit dextrâ; nam ſemper opacâ
Nube refulgentis fædantur lumina Solis.
Inſurgunt cælo montes, valliſquè profundæ
Planities immenſa jacet, quam turba virorum,
Pars pede, pars verò ferratâ calce fatigans
Ilia quadrupedis, velox premit, atque fugacem
Inſequitur cervum; volat autem corniger Eurus,
Præcipitiquè fugâ vitare ſequentia tela
Quærit, at incaſsùm; nam capta cupidine prædæ
Venantum præmiſſa cohors illi obvia ſurgit.
Ut magna inſpiciat parvæ ſpectacula Romæ,
Cæruleum Tybrin, patrios deſerta penates,
Turba Sabinarum exultanti pectore tranſit:
Pectore ſed mæſto rediens, numeroquè minuta,
Fæmineo generi exemplum præſtabit honeſtum,

G Ne-

Nequa domum linquat propriam , ludiſquè videndis
Abſtineat virgo : fert ſecum forma periclum.
Ipſe pater Tybris lauro redimitus opacum
Alluit ingreſſum ſilvæ , lætuſquè gemellos
Oſtendit pueros , quos matris ab ubere raptos
Suſtinuit lymphis , poſuitque in margine tutos.
His Lupa blanditur , lactiſquè alimenta ferini
Maternâ pietate offert. Res mira ! Salutem ,
Quam conſanguineus voluit Rex perdere , ſervat
Bellua : non homine eſt homini crudelior hoſtis.
Horrificam Phorci natam mox enſe trucidat
Perſeus , dum placido dant fratres lumina ſomno.
Mercurius dextræ ferrum , talaria plantis
Præbuerat , juſtæquè neci lætatur adeſſe.
Filius at Danaes , ne viſo crine Meduſæ
In lapidem poſſit verti , vulnuſquè minatum
Perdat , & illuſum maneat ſine vindice Templum,
Ægide in oppoſitâ Phorcinidis ora tuetur.
Tandem ſexta Domus noſtris celebranda camænis
Advenit , atque fores jam vati oſtendit apertas.
Huic nomen tribuunt naves , decorantquè tabellæ
Ter ſeptem , binæquè ſimul , miracula ſumma
Artis , & ingenio maioris digna cothurni.
Principio aſpicies deſerta cacumina montis ,
Et ſpiſſum arboribus lucum , qui ſola ferarum
Luſtra fovet, mæſtuſquè hominum commercia fugit.
Hìc ſurgit certamen atrox ; nam dentibus urſum ,
Latratuquè canes vexant : aſt ungibus ille

Pug-

Pugnat, & hoſtiles lacerat crudeliter artus.
Conjuge cum charâ volucris prænuntia lucis,
Atque columba duplex, duplexquè cuniculus ora
Invitat, lautis gratiſſima fercula menſis.
Stat felis prædæ intentus, furtoquè paratus,
Corpora fuſus humi: natura æquatur ab arte.
Protinus egregii Ludovici aſſurgit imago,
Præſulis illius, quo Brachara celſa triumphat,
Souſiadûmquè ingens ſe attollit gloria cælo;
Effigiem verò meliorem, & tempore nullo
Delendam Antiſtes memorandus in orbe reliquit
Ipſe ſuam, Latio reſonans dum pectine vates
Eximius, patrio vè urgens modulamine plectrum,
Detinuiſſe Tagum numeroſâ compede fertur.
Hìc, dum torret agros ardenti Sirius æſtu,
Accola ſilvarum Calarîſia tecta ſonoro
Ore beat, numeriſquè ſuis plus addit honoris,
Quàm quot magnificas juſſit conſurgere moles,
Queis modò Souſiacæ fulgent Prætoria gentis.
Jure igitur tanti ſimulacrum Principis omni
Proſequitur cultu Souſarum excelſa propago,
Præclariquè Viri, qui tot virtutibus addit
Threiciam ſuperare chelyn, fidibuſquè canoris
Sedit Apollinei ſupremo in vertice montis,
Semper honos, ſemper nomen, laudeſquè manebũt.
Arcubus inſignis, centumquè innixa colnmnis,
Dum tenuit vaſto Romana potentia terras
Imperio, tellure jacet, ſævamquè ruinis

Teſtatur moles annoſi temporis iram;
Aſt aliquos ſervans arcus, aliquotque columnas,
Quas viridi muſco, atque hederis frondentibus ætas
Longa tegit, priſci dant latè ſigna decôris.
Si te dura fames, acido pungente liquore
Ventriculi tunicas, ad menſam accedere cogat,
Piſcibus eximiis, quos offert parva tabella,
Optares equidem ſatiari; namque rubenti
Mullus adeſt barbâ, teneroquè Aurata Bugloſſo,
Cæſtrius atque Lupus Minii piſcatus arenâ,
Gobio, Turdus item, & cum albenti Rhombus Aſello;
Quos prope conſpicitur Sinarum nobile pomum
Partibus abſciſum, pariterquè ſalubria mala
Heſperidum, & caulis faſtidia tota ſecantes,
Pallentis Cinaræ caules: his priſca ſolebat
Aurea gens lætis convivia ponere menſis.
Crevit in immenſum jam luxus, & omnia miſcens,
Diverſis rerum naturis fercula condit;
Sed quamvìs auxiſſe dapes, alioſquè ſapores
Inveniſſe tumet, vitam minuiſſe dolemus.
Grata viatorum requies, ignobile tectum,
Quod menſa exornat vilis, pauperquè ſupellex
Mox patet: hìc alii grato ſermone fruuntur,
Ore cibos alii mandunt, longoquè viarum
Attritas curant vires reparare labore.
Iſmarius fidicen platani frondentis ad umbram
Dulcia plectra ferit, digitiſqnè ſonantibus urget;
Nuncquè manu tardâ, celeri nunc pollice chordas
Sol-

Sollicitans totam vocali murmure ſilvam
Perſonat : excîtum cantu genus omne ferarum
Orphea ſtat circum, denſiquè cubilia ſaltûs
Deſerit attonitum, atque arreptis auribus adſtat.
Arbore vicinâ, vicinoquè aëre pendent
Miratæ volucres, protenſaquè guttura ſervant,
Ut poſſint propriùs numeros haurire ſonoros.
Vos quoque Threicii juvenis teſtudo, puellæ,
Montibus ex patriis meritò deſcendere cogit,
Et fontem ignotum torrentis quærere dulcis.
Protinus arboribus regio circumdata denſis
Dejectam oſtendit frondoſo in margine molem,
Quæ procerum fuerat ſedes; at longa vetuſtas
Perdidit, & vaſtis fœdavit tecta ruinis:
His vicina domus, quæ feſſa labore viarum
Membra levans, dulce hoſpitium venientibus offert.
Ante fores ſiſtunt equites, varioquè fruuntur
Colloquio; at pedibus qui nuper venerat, omnem
Impendit curam canibus, qui luſtra ferarum
Naribus explorant, penetrantquè indagine lucos.
Parte aliâ ingentem ſilvam beat amnis, & inter
Frondentes ramos faſtigia celſa videntur
Regalis tecti nemoroſâ in ſede locati.
Siſte manum, deluſus enim fallacia poma
Invenies, quamvìs radient pulcherrima lino.
Certè oculos rapiunt pepones, Valaricia proles;
Purpureoſquè ſinus pandens, viridiquè coronâ
Granâtum oſtendens pomorum Regna tenêre.

San-

Sanguineos ceraſi fructus , & quoſque , veneno
Exuto , miſit pharetratæ Perſidis ora ,
Aſpicies : fici nocturno rore madentes
Hìc ſimul, & gravibus nigrantia pruna volemis.
Fæmina per ſilvam ſpumanti laxat habenas
Quadrupedi , criſpanſquè manu venabula , torvos
Inſectatur apros : hominum quoque turba citatis
Fertur equis , prædamquè fugacem haſtilibus urget.
Illa volat , fugienſquè necem , tutamen in undis ,
Quas lacus effundit ſcopuli pendentis ad imum ,
Incaſſùm quærit canibus , teliſque ſecuta.
Sanguineus Mavors duplici mox ſede cruentos
Perſtringit gladios ; nam prælia bina videbis ,
Oppoſitaſquè acies ferro decernere , qualis
Laurigerum mereat virtus celebrare triumphum ?
Hinc faciem antiquæ molis , quam Roma ſolebat
Condere , Cæſareas cùm ſubdita mandit habenas ,
Aſpicies , partim lapſæ, partimquè ſuperbum
Suſtentantis opus , deluſâ temporis irâ ;
Namque manent arcus aliqui , quædamquè columnæ;
Aſt alios , aliaſquè ſolo jacuiſſe dolebis ,
Jam cingente hederâ, cingentequè marmora muſco.
Antiſtes Crati , memorabilis ille Joannes ,
Cui Regina Domum commiſit Luſa regendam ,
Aſpicitur : pectus Meliteņſi ſtemmate fulget :
Enſe latus munit , decorantur tempora canis.
Souſius hic Heros juvenili ætate triumphis
Implevit Meliten , prædones contudit Afros :

Tot

Tot Mahomettano portavit ab hoſte trophæa;
Barbaricoquè rubras ita ſanguine reddidit undas
Æquoris Ægæi, ut præclaro nomine ſacri
Militis audito, gens, quæ Mahometta nefandum
Inſequitur, palleſcat adhuc: timuere ruinam
Mænia, queis ſolium tenet Ottomana poteſtas.
Jure igitur Lyſiæ Mavortem parva tabella
Souſiadis offert, queat ut Maioris imago
In ſimiles palmas virtutem inflare Minorum.
Stat canis aſpiciens pomum, quod ab arbore pēdet,
Eſtquè novum ſanè quod pendet ab arbore pomum;
Nam lepus eſt: turdos etiam, quos fructus Olivæ
Allicit ad noſtras hyemali ſidere terras,
Atque anates, variaſquè ſimul, vel fluminis alveo,
Vel nemorum ramis aſſuetas alter Apelles
Hìc effinxit aves. Memini increpuiſſe videntem,
Dum parat in volucres necis inſtrumenta volantis,
Mortiferumquè implet nigranti pulvere ferrum.
Exin diverſos piſces, & qualia noſtræ
Arrabidæ pulchro capimus conchilia portu,
Oſtendit pictura ferax: fugit inde rubentem
Ore ferens mullum felis, vultuquè minaci
Carpit iter: pictum aſpicies, vivumquè timebis.
Sidera per terras etiam quandoque vagari
Quis neget? aſpiciens Venerem, cui caſta Diana,
Docta Minerva, ſimul Cereris formoſa propago
It comes, igniferiquè omnes in vallibus Ætnæ
Contendunt nitidos certatim carpere flores.

Perſe-

Perſephones verò patruus, qui horrentis Averni
Regna tenet, nigrâquè potens dominatur in Aulâ,
Virginis inſano correptus amore, quadrigam
Occupat, ignivomiquè petens ſpiracula montis,
Horrida Tartareas qua ſe via pandit ad undas,
Egreditur tandem, ſuperaſquè evadit ad auras.
Terrentur Divæ, tremuitquè exterrita virgo,
Tuncquè magis tremuit, cùm ſe peti ab axe videret,
Invitamquè rapi curru: nil Numina proſunt,
Nec Cyane oblato (quamvìs doctiſſima fandi)
Conſilio potuit Stygium placare Tyrannum.
Ille ferens prædam, totas immittit habenas,
Quadrupedeſquè nigros ſpirantes naribus ignem
Dirigit accelerans fumantis ad ardua montis,
Quà breviter poſſit pallenti immergier Orco.
Ætna parum diſtat Siculæ regionis alumnus
Flammifer, ac montes inter mirabile monſtrum;
Namque caput cernes flammis crepitantibus uri,
Nix per terga jacet, pedibus dat Flora cothurnos.
Montibus ex altis cætus venit, impia poſtquàm
In damas curvo direxit ſpicula cornu;
Et quà ſe tandem pandit via publica, ſiſtit.
Hic alii feſſis canibus deſumere potum
Dant gelidâ rivi placidè labentis in undâ.
Mércantur fungos alii, viliſſima campi
Muńera, quæ quamvìs placeant jucunda palato,
Effugias, Medico ſi quidquam credis amico.
Luxuriantis humi vitio naſcuntur, & iidem

Ven-


Ventriculo expanſi præcordia ſæpe coarctant.
Aëris ingreſſus præcluditur, atque cruoris
Maſſa nequit ſolitum exercere per organa girum.
Ergo funus adeſt: ſi tanta pericula verò
Te capiant, ſumpto vitam ſervabis aceto.
Corpora multa canum Lybicæ dominator arenæ,
Cætera cui meritò parent animalia Regi,
Dat lacerata ſolo: tamen acres ore moloſſi
Affligunt, colloquè hærent, pendentquè tenaces
Gutture ab adverſo; quamvìſquè eviſceret hoſtis,
Membraquè diſcerpat, non morſus quiſque cruentos
Deſeruit, plagæquè inflictæ firmus adhæret.
Hæc prope limoſam certamina dura paludem.
Parte aliâ cervum fugientem pulvere velox
Venator ſequitur, nec calcibus ilia tangit
Quadrupedis; quoniam fæcundo in margine Bætis
Pabula detonſus Boreâ genitore ſuperbit.
Decurrentis equi ſonitu perterritus, atrum,
Quo jacuit, cænum linquit, nemorumquè latêbras
Quærit aper fugiens. Picturæ in culmine celſo
Pagus adeſt, contrà mons ſurgit, & undique lætis
Arboribus plenum magalia multa coronant.
Lignea dein moles ſervandis veſtibus apta,
Exuperat latè quas Dædalus ipſe magiſtrâ
Arte dedit: chlamydes oſtroquè, auroquè ſuperbæ
Regali effulgent pompâ: non ſtamina Seres
Velleribus poſuêre ſuis: non dives Iberus:
Exhibuit verò bombix, mirabilis ille

H Tex-

Textor, qui poſtquàm ſibi conſtruit ore ſepulchrum,
Clauditur in tumulo, & volucrem ſuperatus Eoam,
Emoritur vermis, tandemquè renaſcitur ales.
Jam ceraſi apparent fructus, ficiquè recentes,
Et quæ poma Cydon Creteis miſit ab oris:
Dulcia poma ſimul quibus Azeitania tellus;
Dum canis ætherei gemit ardens ore Leonis,
Jactabunda ſolet multas onerare carinas
Ad proceres Regni. Anguriæ ſtant fruſta rubentis;
Sed fuge morbificum, fuge nectar; namque ſub illo
Febris dira latet: veniet cum frigore febris,
Et tremor, & vomitus, fædum expellente Pyloro
Anguriæ ſuccum: fugiat quicunque ſalutem
Cautus amet; pepones verò, quos mira tabella
Objicit, amplexu teneas, peponumquè fragranti
Ora cibo repleas: arentia guttura lenit,
Accenſam infringit bilem, cordiſquè cadenti
Virtuti auxilium jucundo præbet odore.
Ægrotis igitur peponum redolentia fruſta
Danda probo, vidiquè febres jugulaſſe malignas.
Perſicus ora tapes rapit hinc: diverſa videntur
Illico poma, quibus voluit dominator Olympi
Eximium dulcis ſpecimen dare nectaris orbi.
Certamen mirare pedum, palmâquè tuendam
Hippomanis vitam: currit Schæneïa virgo,
Neptuniquè nepos: juvenem verò illa ſequentem
Æmula ventorum longè poſt terga relinquit.
Ex flavo fert ille manu duo poma metallo,

Illa unum, cæcâquè cupidine tacta duorum
Paulatim curſu, dum lumina vertit in aurum,
Deficit. O compes virtutis ſemper iniqua,
Aurum! Proh turpis regali in pectore labes
Ambitio, atque magis muliebri in pectore turpis!
Virginis ipſe pater velocis, qui aurea Scyri
Sceptra tenet, ſolio reſidens ſublimis eburno,
Certamen cernit natæ, Regiquè propinqua
Stat Venus, & Veneris ſoboles pharetrata, Cupido.
Hinc procul exanimes bini aſpiciuntur ephebi,
Quos Atalanta neci ſuperatos miſit acerbæ;
Namque hoc fædus erat: qui victus funere mergi,
Qui pedibus verò poſſet ſuperare puellam;
Huic conjux Atalanta foret. Proh fædus iniquum!
Conjugium, aut lethum! ſi vinco, eſt fæmina laurus:
Si vincor, tumulus pæna eſt: utrôque dolendum:
Nec laurus pænâ melior; nam morte quieſces,
Connubio magnus curarum te opprimet æſtus.
Talibus egregiæ Calarîſis tecta renident
Picturis: numeraſſe juvat, noſtriſquè colorem
Carminibus tribuiſſe novum, quem dente maligno
Non tempus delebit atrox, oblivio nulla
Conteret, æternumquè dabo per ſæcula nomen.

FINIS LIBRI PRIMI.



DESCRIPTIO
VILLAE CALARISIANAE.
LIBER SECUNDUS.



PERGITE, Pierides; nam pars extrema laboris
Reſtat adhuc: magnæ Calarîſi haud pauca ſuperſunt
Digna cani, & quamvìs magè celſo carmine digna,
Proſequat ipſe tamen, parietquè audacia vires.
Ergo licèt duro premitur manus altera ſaxo,

Alte-

Altera per Pindum numeroſas explicet alas:
Et quæ Lyſiacas tantùm celebrata per oras
Hactenus enituit Calarîſis, carmine noſtro
Clarior ardentis ſuper incunabula Solis
Pervolet, atque ipſos ultra Garamantas, & Indos.
Quin etiam egregios, queis Lyſia gaudet alumnis,
Souſiadûmquè Domus celſum caput inſerit aſtris,
Vel bello, vel pace Viros nunc barbiton urnis
Suſcitet, ac vitam modulans det Muſa perennem.
Artis Apellêæ poſtquam miracula tanta
Vidimus in Domibus nitidè pendentia ſenis,
Quindecim habes gelidum Borean ſpectantia tecta:
Hæc totidem ſcindunt portæ, quas pergula magna
Accipit, & longo ſpatio cùm extenſa feratur,
Inter utraſque fores conſtructam ex marmore ſedem
Invenies, poteriſquè artus ibi ponere feſſos.
Formoſum circa menianum ferrea crates
Tenditur: hanc verò capite ex utroque videtur
Rumpere ſcala duplex (aliam nova cura recenter
In medio poſuit) quæ Floræ ad proxima Regna
Pandit iter, florumquè propinquo in margine ſiſtit.
Marmorei in medio ſtagni Tyrinthius Heros
Surgit, & ipſe manu ſtridentem ex ære catenam,
Quâ trahitur vinctus tenebroſi janitor Orci,
Suſtinet, ex humero pellis, fert dextera clavam.
At Domus interior, numeruſquè, & pōpa Domorũ
Regali ſplendens luxu, totquè atria, totquè
Magnifico æratæ ſtrindentes cardine portæ

Attonitum latè reddunt, potiùſquè ſilêre
Expoſcunt vatem, quàm incultas promere laudes.
Non tamen egregium immatura ſilentia Templum,
Quo Calarîſis honor, ſupremaquè gloria ſurgit,
Abſcondant, nec Opus tantum celebrare per orbem
Fama neget. Divæ taceant præclara triformis,
Quæ ſi non flammis Delubra accenſa fuiſſent,
Nunc equidem invidiâ arderent, Epheſoquè dolente,
Omnem ſola ſibi raperet Calarîſis honorem:
Nam quà Barbarico vicina palatia monti
Ulteriùs tranſire negant, Soliſquè micantem
Reſpiciunt ortum, ſacras hìc condidit Ædes
Souſiadûm generoſa Domus, taliquè ſuperbum
Arte erexit Opus, foret ut mirabile Templum,
Nequaquàm verò fieri hoc imitabile poſſet.
Attalicas diffundit opes, & Virginis almæ
Effigiem adverſis inventam rupibus olim
Digna in ſede locat: mediam Diva occupat Aram,
Hinc Franciſcus adeſt, aliâ ſtat parte Philippus,
Quos Calarîſiadæ poſt Matrem Numinis alti
Ingenti afficiunt cultu, Primiſquè ſuorum
Indere ſæpe ſolent Divorum ex nomine nomen.
At non, quæ varios fulgent induta colores
Marmora, marmoribuſquè inciſi ex ordine flores,
Non auri immenſum pondus, Lunæquè metallum,
Queis ſacræ irradiant veſtes, atque omnia ſacræ
Ornamenta Domûs, quamvìs mirabere cuncta,
Nobiliora micant, minus eſt quod lumina cernunt;
Nam

Nam magis hoc decorat, magis hoc ad ſidera Templũ
Gratia Pontificum tollit, fundenſquè beati
Theſauros Petri, ſic illud ditat, ut omnis
Gemmiferas Orientis opes vileſcere cogat.
Hìc ſcelere, ac pænâ Jubileus quinus in anno
Liberat, atque poli ſtellantia limina pandit.
Hìc bis in hebdomadâ poterit quicunque Sacerdos
A flammis revocare animas, pænâquè ſolutas
Sidereis inferre plagis. Cui tanta poteſtas
Delubro ſpectanda venit? Cui gloria talis?
Quæ maiora canam? Summos Calarîſis honores
Jam retulit numeroſa chelys, laudemquè ſupremam.
At, licèt inferius, quantum cæleſtia rebus
Humanis præſtare ſolent, memorabile verò,
Ac regale decus Calarîſi accreſcere nuper
Vidimus, atque novis ipſam conſurgere palmis,
Dum Lyſiæ Regem, quem non capit orbis, & ipſum,
Cui gemino pendit vectigal Phæbus ab axe,
Hoſpitio recipit digno, tantâquè potiri
Maieſtate datur; quæ cùm eſt ingreſſa penates,
Tunc omnem tremuiſſe Domum, penituſquè videres
Omnia Cæſareos ſimulant quæ marmora vultus
Pallida: in auguſtum tanta eſt reverentia Regem!
Ille quidem celebri Calarîſis nomine motus,
Atque ſciendi avidus, num Souſiæ villa mereret
Tot laudes populi, totquè æra ſonantia famæ?
Linquit Ulyſſeas arces, lemboque volanti
Ad littus tranſit Counæ, vectuſquè quadrigâ

Mox

Mox properâ vallem Azeitani pulſat amæni.
Hinc fervente rotâ ſilvas Calarîſis opacas
Præterit, & tandem quæſito in limine ſiſtit.
Maius Opus famâ, & maiorem nomine molem
Souſiacam invenies, ô Petri auguſta propago,
O Regum ſublime decus: cælo æmula ſurgit
Digna Domus Rege, & tanto nunc hoſpite digna.
Temperies cæli mira eſt, paſſimquè ſalubres
Emanant fontes: florum viridaria plena:
Perpetuus volucrum cantus: vicina feroces
Apros ſilva creat: cervi, damæquè fugaces
Gramina tondentes herboſis vallibus errant.
Adde, quòd ut clypeum, qui pulchra palatia ſervet,
Atque procelloſi Oceani defendat ab undis,
Barbarici rupes Promontorii ipſa potenti
Objecit natura manu: quìd proxima Templa
Arrabidæ memorem, ſcopuliſquè elata Sacella?
Sed vicina magis colitur Carmelia Virgo,
Cælicolûm Regina potens, Materquè Tonantis.
Pinifero ſacras Ædes albeſcere clivo
Cernimus: hinc oculis latè ſe ſubdit apertis
Planities immenſa, Tagus quam ſcindit ab urbe
Jam dubius, pontum ne voces, fluvium vè minacem?
Urbs patet ipſa, caput Regni, & fundamen Ulyſſis,
Quæ nuper diviſa aliam ſe pandit in urbem,
Ut ſic illa ſui ipſius foret æmula ſolùm.
Hinc etiam gelidæ ſcopuloſa cacumina Cintræ,
Lunæ olim ſacrata, modò ſacrata Mariæ

Aſpicimus : contrà palus Albuferia vaſtis
Fluctibus Oceani tumulos objectat arenæ.
Nec quamvìs lucos habitet Calarîſis opacos,
Sola ſedet, populis vè caret deſerta propinquis.
Proxima conſpicies piſcoſæ mænia Zambræ
Antiquamquè arcem ſublimi in vertice cautis,
Quam vaſti Oceani ſpeculam formidat ab undis
Prædo Afer, fugienſquè retro dat lintea puppi.
Nobile vicino Azeitanum gramine ridet,
Averii Domus alta Ducum, gaudetquè ſuperbo
Quod Calarîſiacos attingat Limite campos.
 At natura licèt ſedem ſic intus, & extrà
Souſiacam ditavit amans, quamviſquè ſupremas
Artis opes equidem Cararîſis noſtra potitur;
Omnia contemnit, ſoloquè in honore quieſcit
Hoſpitii, tanto quod præbuit aurea Regi.
Ille oculis poſtquàm, fratrumquè Antonius alter,
Moribus egregius Princeps, totam haurit, & ipſam
Eſſe quidem ingenti celebrandam laude fatetur,
Imperat, ut plectrum capiat, celſoſquè penates
Souſiadûm plaudat numeris Antonius ille,
Cui Reges decorant nomen, cui Lyſia debet
Aonium invidiſſe Tago: mox Luſus Arion,
Neriadûm ſublimis honor, quem propter alumnum
Regia facundas Academia ſpernit Athenas;
Dum Regni Hiſtoriam, Livi Scriptoris imago,
Eruit à tenebris, & ſcribit voce Latinâ,
Dat reſonare fides, triplicique epigrammate cunctas
Divitias

Divitias Pindi numeroſus ab ore profundit.
Souſia tecta tument: proles Calarîſia gaudet,
Tranſcribitquè cedro divini munera vatis;
At, ne longa dies partum decus, hoſpite Rege,
Deleat, erecto ſignatum marmore ſervat.
Quin etiam Auguſti conjux Auguſta Joannis
Principe cum noſtro, ac noſtra cum Principe nuper
Ingreditur pulchræ frondoſa palatia villæ,
Souſiacoſquè novo decorat ſplendore penates
Sol ille Auſtriacus, quem ſidera bina ſequuntur,
Sidera Souſiadûm præclaro ex ſanguine nata.
At matronales poſitæ per tecta figuræ,
Ut ſubiit Regina fores, læto ore videntur
Adſtare, & vultu præſentia gaudia promunt.
Copia virtutum, & pondus venerabile morum,
Queis jubar Aſtriadûm, Caroli germana potentis,
Enitet, ac Luſum latè beat inclyta Regnum,
Antiqui celebres Heroidas excitat ævi,
Lætitiâquè implet, quòd cerni poſſit ab illis
Fæmina, quæ veterum virtutes colligit omnes.
Hìc genus egregii Leopoldi ſedis amænæ
Deliciis captum binâ cum prole quieſcit
Bis ſenos Regina dies: tunc omne videres
Floribus inſterni pratum: nova gramina campus
Induit, ac vitreo gratantur murmure fontes.
Ipſæ etiam volucres tunc dulciùs aëra cantu
Demulcent læto, gelidâquè immiſſus ab Arcto,
Qui priùs ingenti perflabat turbine terras,

Obdormit Boreas : blandiri cuncta Dione
Exoptant Luſæ : hinc ſaltus, hinc luſtra ferarum
Venatrix petiit ; nec Adonida liquit inultum.
Hinc adit Arrabidam, & diſperſas rupibus Ædes
Inviſit ſacras ; ſimul intra viſcera ſaxi,
Margarita, tuum placuit coluiſſe Sacellum,
Auguſtæquè Aræ regalia munera donat.
Nocte Domum remeat gratæ Calarîſis, & omnem
Ipſa manu turbam, quæ circùm effluxit, egenam
Sublevat, atque auro ſortem demulcet acerbam.
O pia Lyſiadûm mater, ſic itur ad aſtra,
Auriferi Regina Tagi! Sic tota clientum
Corda tibi in ſolium cumulantur, dum aure benignâ
Haud renuis triſtes miſerorum audire querelas,
Ac inopes fulvo dextras onerare metallo.
Ebibat exemplum miræ pietatis uterque
Filius, atque tuæ niteat pietatis imago.
At lætos poſtquam ducit per ſingula natos,
Souſiadûmquè omnes luſtrat Marianna penates,
Victa loco ulteriùs tam gratâ in ſede maneret;
Verùm Regis amor, ſobolis quoque cura relictæ,
Impediunt augêre moras, & linquere gratum
Protinus hoſpitium cogunt, urbiquè redire.
Ergo iter indicit peragendum, craſtina bigis
Cum roſeis Aurora micet, lucemquè reportet.
Nox erat, & Phæbe medium pulſabat Olympum
Cùm Regina jacens placido deluſa ſopore
Aſpicit, ut Nympha ingreditur regale cubile
Pulchra

Pulchra nimis : flavos decorabat Flora capillos :
Veſtis erat viridis ; veſtem premit aurea zona.
Tunc deflexa genu, roſeo ſic incipit ore.
En, Calarîſis ego, cui tantum præbet honorem
Hoſpitium præbere tibi, pro munere tanto
Mille datura modò regalibus oſcula plantis,
Advenio, pariterquè meum expreſſura dolorem,
Quando dies properat, quo me, Marianna, relinques.
Me nè fugis ? Nuper petiiſti, & laude ſuperbam
Me vidêre tuâ : ſequitur modò gaudia mæror,
Poſtquè decus partum lacrymæ labuntur inanes.
Non potes hinc tutò diſcedere, namque profundum
Objicient pelagus nimio mea lumina planctu.
Non nè audis ſtridêre Notum, Regina ? Furentes
In ventos converſa fremunt ſuſpiria noſtra.
Non poteris tranſire Tagum, quippe horridus ipſe
Caſſiliæ portum ſpumoſis verberat undis.
Ergo ſiſte gradum, fugies diſcrimina tanta.
Si tamen ire placet, nec te ulla pericula terrent,
Nec precibus vis ulla meis, mihi pignora ſaltèm
Linque tua, auguſtam ſobolem, quæ limina noſtra
Tecum adiit, molliquè jacet nunc victa ſopore.
Hoc ſolamen erit : Priami quoque regia proles
Umbroſos coluit ſaltus, Idæquè receſſum.
At quamvìs deſerta querar, quamvìſque relinquar
Tot mæſtos inter gemitus, cum prole venuſtâ
I, decus, i, noſtrum, & felicibus utere fatis.
I citò, ferquè tuos, ô Iſtri gloria, natos ;

Nam-

Namque moræ impatiens jam cernitur urbe Joannes:
Heſperiæ Legatus adeſt Balbazius Heros ,
Qui petit, atque offert : natam petit ille ſuperbos
Principis Hiſpani ad thalamos ; prolemquè Philippi
Ad Luſitani connubia Principis offert.
Nec petit, aut offert incaſſum ; namque videbis
Ut tua progenies, tantæ genitricis imago ,
Mox linquet natale ſolum , charoſquè parentes ,
Occupet ut ſolium Ferdinandi uxor Iberum.
Ipſa tuo pariter veniet Tarteſſia Princeps
Joſepho conjux , nec tempora multa ſuperſunt.
Quantos ille dies , cùm æternæ mutua pacis
Pignora tradentur ſuper ipſam fluminis undam ,
Fluminis herboſi, quod Regnis meta propinquis,
Lætitiæ cumulos præſtabit ? Quanta clientes
Gaudia Lyſiacos capient, Regina , nitenti
Cùm ſtipata manu lætam remeabis ad urbem!
Tecum pulchra nurus, cui ſacræ in vallibus Idæ
Offerrent meritò certantia Numina pomum ,
Adveniet Marianna ſimul : jam pondere tanto
Cerno tumêre Tagum, cùm ejus ſpumantia colla
Regia cymba premet, Tagidum modulante coronâ.
O felix una ante alias Regina parentes ,
Quæ tam digna tuis cernes connubia natis?
Nam Ferdinandi conjux , auguſta Maria
Tempora regali breviter diademate cinget :
Filius at contrà ſerò cum conjuge dulci
Imperium accipiet , ſolioquè ſedebit avito.

Vivacem

Vivacem prolis ſegetem , multoſquè nepotes
Natus uterque dabit : video turgeſcere clari
Manſanâris aquas, cùm pulchro in margine primus
Editus in lucem formoſus vagiet infans.
En Tagus Eridanum quærit detrudere cælo ,
Et ſe plus dignum ſtellanti ſede potiri
Haud dubitat, pretioſa magis ſua littora credens,
Quàm cùm olim rutili volvit ramenta metalli.
Candida Joſephi proles, thalamiquè jugalis
Gloria prima Tagum nimio deludet honore;
Atque ita ſupremo ſedem ſpectabit Olympo,
Irradianſqnè volet fieri pro flumine ſidus.
Gaudia quanta tuum video circundare pectus,
Cùm cernes gratam ſobolem, parvoſquè nepotes
Ludentes Aulâ ? Verùm te gaudia ſumma
Tunc , Regina, manent; cùm jam florentibus annis
Quiſque ſagum indutus Lybiam, ductore parente,
Belliger invadat, duroquè Atlante ſubacto,
Funditus æqua ſolo Marroquia mænia ponat.
Ulterius tendet victor, Luſaſquè cohortes
Trans Nilum, Tanaimquè feret victricibus armis,
Atque Ottomanas fædabit ſanguine Lunas.
Luſi ſtemma ſacrum video ſuper ardua tolli
Mænia Bizanti, Solymeaquè mænia, Plagas.
Ergo tempus adeſt promiſſum à Numine quondam
Alphonſo. Imperii capiet Joſephus habenas
Primus , & innumeri potientur ſceptra nepotes;
Omnia namque mihi vicino in littore ponti

Præ-

Prædixit Proteus; novit namque omnia vates?
Mequoque littoreis ſpatiantem nuper arenis
Fronte parùm lætâ, quod tam citó tendis ad urbem,
Ipſe quidem Proteus verbis ſolatur amicis,
Te què ſimul comitante nuru, comitante nepote,
Ad mea promiſit redituram limina rurſus.
Credo equidem, quamviſquè moræ lacrymabile tẽpus,
Spes tam grata meum potis eſt lenire dolorem.
Vade igitur, felix Regina; & pignus amoris,
Hæc duo, quæ natis confeci ſerta duobus,
Accipe, daquè precor Regni argumenta futuri.
Vade, rediquè citó; & ſiquid meruiſſe videbor,
Souſiadas noſtros regali protege dextrâ.
Dixit, & in tenuem pulchræ Calarîſis imago
Mox auram converſa fugit, ſomnuſquè, ſolutis
Senſibus, extemplo Reginæ deſerit artus.
Somnia miratur, fieriquè hæc vera Tonantem
Expoſcit ſupplex: ubi verò lumina tollens
Aſpicit in thalamo binas pendêre coronas
Floribus ex variis contextas, munera Nymphæ
Principibus ſacrata ſuis, non vana fatetur
Somnia, & eximio quantum Calarîſis amori
Debeat, agnoſcit tandem: non gaudia pectus
Diſſimulat; verùm fauſtæ præſagia ſortis,
Quæ binos ſperat natos, prolemquè futuram
Nota facit: plauſu reſonant Calarîſia tecta,
Et quandoque etiam reſonare videbimus urbem.
At Calarîſiadæ, neu tantum tempore longo

Pro-

Prodigium mergi Lethæo in flumine poſſit,
Teſte parant duplici venturis tradere ſæclis:
Ære quidem ſolido ſcribent, pariterquè tabellâ
Inſigni exponent oculis: hìc alter Apelles
Souſia Reginam venientem ad limina charis
Cum natis, Lyſiæ proceres, turbamquè ſequentem
Picturâ oſtendet gratâ: mox regia conjux
Parte aliâ aurato in thalamo ſopita jacebit.
Ante illam, Nymphæ ſpeciem ſortita decôram
Poplite deflexo Calarîſis noſtra tenebit
In dextrâ duplicem, velut oblatura, coronam.
Sic gemino pede caſus hic admirandus edacem
Temporis infringet rabiem, clariquè Minores
Souſiadûm meritò gaudebunt, Lyſia quando
Cognita fatidico primùm Calarîſis ab ore
Accipiat felix promiſſæ munera ſortis.
Gaudebunt pariter, doceat cùm magna tabella,
Quód Calarîſiacos ſubiit Regina penates,
Luſtravitquè omnem, natis comitantibus, Aulam.
Sola hæc inſigni deerat jam gloria Villæ,
Sanguinis Auſtriaci ut præclaram Heroida, celſo
Quæ ſolùm thalamo digna eſt inventa Joannis,
Accipiens, gratam duodenos aurea Soles
Præſtiterit ſedem: jure ergo laude ſupremâ
Æternùm ſæclis veniet celebranda futuris:
Cùm tamen illius molem Regina coronet,
Quid Calarîſiacis in tectis proſequar ultra?
Cùm verò internus, quàm externus, ſplendor honorem

Maiorem pariat, Calarîſis maxima magnæ
Gloria ſub Dominis fulget, cæloquè propinquat.
Non igitur, ſi noſtra ſuis nunc Muſa dicatur
Plauſibus, illius per ſæcula longa Dynaſtas
Prætereat Souſas, tenebris vè relinquat opacis.
Imò genus clarum, & tantæ incunabula prolis,
Sedula rimetur: juvat ipſum attingere fontem,
Unde per egregios ad tempora noſtra nepotes
Souſia progenies fluxit, quæ ſanguine quamvìs
In Calarîſiaco vigeat; tamen urbe videmus
Quód nimios Regni proceres amplexa renidet.
Præclaram ſtirpem ſcripturus fortè ſub umbrâ,
Quâ frondoſa tegit labentem fraxinus undam,
Cùm primam terris fert lucem, Aurora, ſedebam,
Ecce! Mihi apparet frontem redemitus olivâ,
Innixuſquè ſenex baculo, quem dulcia poma,
Immiſtiquè ſimul prætexunt undique flores.
Obſtupui viſu: gelidos tremor occupat artus,
Ex manibuſquè cadit teſtudo; ſed ille benigno
Stat vultu, & tales depromit pectore voces.
O, qui Barbaricis Parnaſum rupibus adfers,
Souſiadûm Vates, tria jam per luſtra colonus
Noſter, & Aonios inter mihi charus alumnos;
Magna tuo quoniam plectro mihi gloria quondam
Surget, cùm meritam videant tua carmina lucem.
O' mihi tota ſalus, morbo qui ſæpe jacentem
Erigis, atque malum ægrotanti corpore pellis;
Nec veterum errores Medicorum amplexus acuta
Spicula non calles Acidi, ſævumquè domare No-

Noviſti alcalicâ virtute ; & dulcia quamvìs
Carmina ſint cordi, non ſunt tibi carmina curæ,
Nec citharæ incumbis, niſi cùm datur hora quietis,
Atque Machaoniâ populus non indiget arte.
Otia ſunt Muſæ, & vacuo Patareus Appollo
Dat tibi Caſtaliæ dulces haurire liquores.
Ergo, clara magis cùm jam Calarîſis in orbe,
Te modulante, micet ; cupiaſquè aſcendere cantu
Antiquum ad fontem, Calarîſius unde perenni
Flumine ſe mittit ſanguis, manatquè propago
Souſia nobilium tot rivis ſecta Domorum:
Cùmquè opus Annales tibi ſit noviſſe vetuſtos,
Qui variis pleni dubiis, longiquè tenêbris
Temporis impliciti, curras ut tramite certo,
Veraquè Souſiacæ ducatur linea prolis,
Ipſe docebo libens, atque ordine ſingula pandam;
Omnia namque Deus cognoſcit, & hujus amænæ
Azeitanus ego Deus adſum ſedis, opacum
Barbarico ſub monte nemus, campoſquè nitentes
Qui tueor, nomenquè dedi de nomine noſtro.
Hìc tredecim in pagis, quibus Azeitania conſtat
Terra, color Numen, Souſaſquè ab origine novi;
Namque meos etiam ſaltus, & amæna vireta
Souſia nobilitat proles, triplexquè propago
Eſt mihi Souſiadûm, ſed adeſt Calarîſia nobis
Gratior, inquè meâ magnas ditione potitur
Ruris opes : igitur generis primordia tanti
Exponam, & recto ad præſentia ſæcula filo

Deducam breviter longævâ ex arbore fructus.
Tu memori, Vates, quæ dicam, mente reponas.
Inclytus Hiſpanâ quondam regione Sueiro,
Belfàguer dictus cognomine, & ipſe ſuperbos
Tunc Princeps inter Gotthos, qui Regna colebant
Heſperiæ noſtræ ſibi ſubdita Marte ſecundo,
Souſiacæ gentis primus pater: arboris hujus,
Quæ celſum ramis felicibus æthera pulſat,
Radix prima fuit: quæ plus antiqua propago?
Progenitor Souſis Princeps: quæ major haberi
Nobilitas poterit? Ter maxima gloria Souſis
Jure venit, quando tam celſâ ab ſtirpe creati.
Gotthus hic egregius Muniâ ex conjuge natum
Haud patri abſimilem genuit, qui dictus Ahufo,
Belfàguerquè etiam patrio cognomine dictus:
Huic thalami conſors Omándola; filius autem
Alter Ahufo etiam cognomen cepit Ahufis.
Hic, tunc Ordonio Tarteſſia Regna tenente,
Ad decus evehitur ſummum, Comitiſquè Vieiræ
Conſpicuo ſplendet titulo: geminantur honores;
Nam illi ſe ſtabili Comitiſſa Tharesia jungit
Connubio, & binos, quos Aris poſtea Divos
Juſſit Roma coli, felix creat ubere natos.
Si prope radicem ſic Souſia floruit arbos,
Cùm ferat ingentes ramos, atque aſtra laceſſat,
Quot Patriæ flores, quot fructus mittet Olympo!
Tertia Goſſoïus, quem appellat cultior ætas
Gonſalum, proles Comitum fuit inclyta bello.

Ille

Ille Domûs hæres, præclari ut ſanguinis ultra
Stamina proferret, vinclo dat colla jugali,
Munîæquè manum Comitiſſæ præbet amantem.
Hæc parit Echiguium: fuit huic Aragunia conjux,
Progenies Gomius, Gomius pietate per oras
Hiſpanas celeber: non quivit longa vetuſtas
Omnia magnificæ monumenta extinguere dextræ.
Pomberii cernes ſuperantem ſæcula ſacram
Cænobii ſedem: Gomium poſuiſſe ſuperbit:
Gontrôde huic nupſit, quæ felicem edidit Egam
Egam, qui primus Souſæ cognomine claro
Induitur, numeroquè videns ingente per orbem
Sic Souſas ſplendere ſuos, exultat Olympo.
Cognomen verò, quod deinde ſecuta propago
Accepit pariter, Souſâ deſumpſit ab amne,
Qui populos, atque arva ſecans, quorum ille Dynaſta,
Labitur, & pingui fæcundat gurgite campos.
Souſarum hic Princeps ad ſummum evectus honorē
(Nomen Muſa nequit numeris aptare Latinis
Barbaricum) meruit, Gontinâ conjuge, Martis
Eſſe gener Luſi: talem te, Maia, fatebor,
Qui toties victor, quoties in pulvere ferrum
Stringis, & immanem bellator tendis in hoſtem.
Lidadoris, eras quo tunc celeberrimus orbe,
Nomen adhuc Europa colit, ſemperquè ſonanti
Ære tuos canet immortalis fama triumphos.
Poſt Egam Mendus, cui pulchra Tharesia conjux,
Magnæ ſtirpis Atlas, Gonſalum procreat illum,

Qui

Qui quatuor primus, generi decora alta futuro;
Souſiadûm Mavors cepit pro ſtemmate Lunas.
Sancius, Alphonſi proles fortiſſima bello,
Inſtructos acie Luſos ducebat in hoſtem:
Nec Maurus renuit pugnam, fretuſquè ſuorum
Ingenti numero ſibi palmam ſperat, & omnes
Sternere Luſiadas, ſæviſve onerare catenis.
Horrendùm ſonuere tubæ, Martiſquè furorem
Terribili accendunt cantu: quot vulnera Princeps
Hoſtibus infligit, totidem dat corpora letho.
Pinguia barbarico Axarafia rura cruore
Redduntur: lateri tunc Principis acer adhæret
Gonſalus, palmæquè moram pertæſus in agmen
Irruit adverſum, & montani fluminis inſtar,
Obvia quæque premens, vaſtum mucrone cruento
Pandit iter: cedunt cunei, Mauræquè cohortes
Deficiunt animo, nec Afro fuit agmine quiſquam,
Qui tantos Lybicæ facienti ſtragis acervos
Belliger auderet Souſæ ſe opponere contrà.
Ille autem quatuor Mahomettica ſigna tenentes
Obtruncat gladio, vexillaquè capta reportans,
Jam Mahomettiadis raptim fugientibus, offert
Principis ante pedes: tunc Sancius: Inclyte Souſa,
Quâ cælo te laude feram? Quæ præmia factis
Digna dabo? Nequiit dextra conterritus hoſtis
Virtutem perferre tuæ, victuſquè receſſit.
Te propter, Lyſiæ decus, ô Gonſale, protervam
Vicimus Afrorum gentem, lætique triumpho

Ad

Ad patris Alphonſi dilecta redibimus ora.
Si mihi jam Luſi ſceptrum, Regniquè corona,
Dividerem tecum: nunc autem pignus amoris
(Ni pater hoc renuat) thalamo promitto venuſtam
Urracam, Gonſale, tuo: patruelis honorem
Accipe; namque illam peperit germana parentis
Chara mei: Luſum Martem Cythereïa Luſa
Connubio jungat ſtabili, multoſquè per Aulam
Ludere conſpicias fæcundâ ex conjuge natos.
Tunc qui vitales auras prior ebibat infans,
Protinus excelſo Comitis radiabit honore.
At ſi me rapiat morbus, belli vè ſiniſter
Eventus vitâ ſpoliet, tu, Souſa, maritus
Urracæ, & claro Gotthorum à Principe cretus,
Mox Lyſiæ accipies ſceptrum, ſolioquè ſedebis.
Intereà has quatuor, Maurorum inſignia, Lunas,
Quas totidem ſignis depictas victor ab hoſte
Das pedibus, Gonſale, meis, tellure cruentâ
Tollito; namque tuo deinceps pro ſtemmate ſigno.
Inſere jam clypeo Lunas, proliquè futuræ
Nobile ſtemma micent, & limina celſa coronent
Souſiadum. Video, multis labentibus annis,
Ut tua progenies tectum ingens vertice Congri
(Hoc tunc nomen erat, nunc eſt ſine nomine clivus)
Conſtruet, atque forum faſtigia ſumma tenentes
Inciſæ albenti pendebunt marmore Lunæ.
Hujus erunt facti teſtes, neu tempore poſſit
Abſumi, & dignâ referant ut laude Minores.

Dixe-

Dixerat Alphonſi ſoboles, Lunaſquè recepit
Gonſalus, parmæquè aptavit ſtemma decorum;
Et modò condecorant prædicta palatia Lunæ,
Souſiadûmquè micant noſtrorum in limine celſo.
Nec ſenior natam germanæ Alphonſus habendam
Gonſalo ſponſam renuit, prolemquè priorem
Vidimus, ut Comitis claro decoravit honore.
Mendus hic egregius, qui fortia facta parentis
Utrùm æquavit: utrùm vicit, neſcire fatemur?
Souſanum dixere Vïrum, magnoquè Vetuſtas
Hoc Herôa rudis ſignavit nomine magnum.
Non illi armato, ſeu undantia fræna gubernet
Quadrupedis, mollemvè pedes proculcet arenam,
Quiſquam iret contrà, quem mox non cogeret acer
Umbrarum ſedes, ſtygiamquè videre paludem.
Lyſia Regna diu Maurorum compede turpi
Oppreſſa omninò redimit: numerare nequires
Quot Mahomettiacæ calcavit ſtragis acervos.
Omnia, quæ Luſis labuntur flumina campis,
Sæpius Oceanum Lymphis petiere cruentis.
Implevit terrore orbem, famâquè coronam
Lyſiacam, Souſaſquè ſimul ſplendore futuros.
Poſtquàm autem Jani ferratos Lyſia poſtes
Clauſerat, atque Viri tanti gravis haſta pependit,
Dulcibus ut poſſet ſobolem diſtendere natis,
Duxit in uxorem haud obſcurâ prole Mariam,
Multipliciſquè patrem generis ſe vidit; at omnem
Exuperat longè fratrum Garcia cohortem,

Sou-

Souſiacæquè Domus hæres fuit : ille jugali
Elviram adjungit tædæ , Menduſquè creatur
Nomen avi referens , ſimilemquè in bella furorem
Hunc ſacro adnectit præclara Thareſía vinclo
Connubii , & quamvìs præcinctam ſe undique natis
Vidit læta parens, mors impia protinus omnes
Abſtulit , & teneros lacrymoſâ condidit urnâ.
Una tamen manſit Conſtantia ſanguinis hæres
Souſiaci ; quamvìſquè Domum ſine prole virili
Lapſuram doluere patres , ut cognita virtus ,
Antiquuumquè genus Petri (namquè Anius ille ,
Porteliuſquè ſimul) ſobolis reparabile damnum
Eſſe patet , generumquè ſibi , natæquè maritum
Elegêre Virum infelici haud omine tantum ;
Namque auctura genus regali prole Maria
Editur in lucem præclari filia Petri.
Hæc igitur virgo , ſpes una propaginis altæ ,
Moribus inſignis , pulchro ſpectabilis ore ,
Dives opum , & patrias longè celebrata per oras ;
Inclyto ab Alphonſo , qui nomine Tertius oſtrum
Regale induerat : Lyſiæquè regebat habenas ,
Eſt electa nurus , procerum plaudente coronâ.
Præbuit urbs Itachi populo ſpectacula læta ,
Auriferiſquè Tagum ripas tumuiſſe per omnes
Fertur aquis , Tagidumquè choros luſiſſe ſub undis.
Accepêre novos Calarîſia prata colores ,
Ut Lyſiæ Infantem Dominum agnovere recentem.
Souſia ſic proles regali ſanguine mixta

Evehitur cælo, & meritò connubia tanta
Ore quidem Souſæ poſſunt memorare ſuperbo.
Ergo Alphonſus (erat nomen de nomine patris,
Cognomen verò Dioniſius) omnia magnæ
Incrementa Domûs vidit; genitore favente.
Hic Didacum Alphonſum, cujus Violantia conjux,
Procreat: à Didaco producitur Alvarus ille,
Qui Patriam antiquam tanto ſplendore replevit,
Ut data jure ſibi cognomina clara Dierum.
Cùmquè toro dignam juvenis per Lyſia Regna
Quæreret uxorem, ſola eſt inventa Maria,
Formâ ingens, famâ celebris, Telleſſia proles.
Hæc Lopium peperit, Lopium, qui gloria gentis
Souſiacæ fulſit latè, meruitquè Magiſter
Sacrorum numerari Equitum, qui pectore Sancti
Signa gerunt Ligni, quo Conditor orbis Avernum
Contudit, & nobis altum patefecit Olympum.
Supremum hoc munus, regimenquè inſigne potentes
Aſſumpſêre ſibi Luſorum poſtea Reges.
Tantus honor fuerat, ſolùm ut fulgente coronâ
Cenſerent dignum: ſic eminet inclytus Ordo
Lyſiadûm Regnis, cecidit Templaria poſtquam
Relligio, & flammis ſocii crepitantibus uſti.
At Lopius genere, & tanto ſublimis honore
Alter ab auguſto tunc Rege, haud pauca reliquit
Germina Souſiadûm: partu tamen edita quinto
Se Eliſabeth Souſis aviam noſtratibus infert.
Hanc Didaco, Alviti Domino, cui clara Luporum
Stirps

Stirps erat, antiqui memorant nupſiſſe libelli.
Una fuit tantùm ſoboles, formoſa Maria,
Luſorum verè procerum Berecynthia mater,
Centum amplexa Domos, & mille amplexa nepotes.
Illam connubii religavit compede ſacrâ
Inclytus Alviti qui primus Baro, Joannes,
Vir meritis clarus, generoſâ ab ſtirpe profectus,
Qui deciès Luſi Regni Legatus adivit
Tòtius Europæ Reges, tandemquè reverſus
Ad natale ſolum, & facundi ad mænia Graii,
Quæque gradu magno ſunt munia, Rege jubente,
Occupat, & facili vultu mentitus honores,
Sic placuit virtute Deo, ſic corde fideli
Regibus, & populo ſic gratus fronte benignâ,
Ut procerum jubar, & magnorum norma clientum
Extiterit, celſoquè ejus de ſanguine nata
Lyſia nobilitas tanto gaudere parente
Jure queat. Magno Baroni pulchra Maria
Exhibuit binos, hyminei pignora, natos.
Horum alter Didacus, frater fuit ille Philippus,
Qui Calarîſiacæ poſuit ſundamina gentis.
Hic Souſa, ille Lupus cognomine: Didacus ortus
Eſt primùm, atque Domûs hæres fuit: inde ſecuti
Alviti illuſtres Barones, tempore noſtro
Quos etiam Comites Oriôlæ cernimus eſſe,
Progeniem primam Didaci recto ordine ſervant,
Cùmquè foret cognomen avi Lupus, inde Luporum,
Souſiadæ quamvis, placuit cognomen habere.

At ſoboles contrà de ſemine nata Philippi;
Qui fratri adverſus voluit ſe dicere Souſam,
Et genere, & priſco Souſarum nomine gaudet.
Nos Calarîſiacam Calarîſim propter amænam,
Illius imperio quæ ſubdita, dicimus: ergo,
Ut patet ex nuper dictis, Calarîſia proles,
Alvitiquè Domus ſe ſanguine ſcindit ab uno.
Utraque clara nimis, tædaſquè accenſa jugales
Jam Lyſiæ ſummos proceres amplexa refulget.
  Ulteriore tamen memorandum prole Philippum,
Unde fluit recto Calarîſius ordine ſanguis,
Proſequor, atque novâ fuerint quot ab arbore rami,
Quæ thalami comites, & quâ de ſtirpe cieatæ
Souſiadûm matres, numeroſa voce docebo.
  Inclytus à magno genitus Barone Philippus,
Qui Calarîſiadûm primus pater, hymine ſancto
Obtinuit felix pulchram ſociare Philippam.
Cunea gens, Luſi clariſſima gloria Regni,
Cui pro laude ſatis duo Nuni: belliger unus
Indorum terror, pelagiquè ſepultus in undis:
Alter, ſacra tegit quem Purpura, Ulyſſis in urbe
Sedis Apoſtolicæ ſplendor, Fideique columna,
Hanc genuiſſe tumet: primo dedit alma Philippa
Franciſcum partu, Franciſcum nomine primum,
Souſiacæquè Domûs hæredem: hic magnus in Aulâ
Tertii opes rexit Joannis; Luſa tenebat
Qui tunc ſceptra manu: thalamis hic Souſa ſuperbis
Intulit illuſtri venientem à ſemine Brittin;

Nam

Nam Mendoſa fuit, generiſquè augebat honorem
Egregii famâ genitoris, quem Indica tellus
Invictum Ormuſii Præfectum, & ſæpe propinquæ
Perſidis hoſtiles vaſtantem aſpexerat oras.
Ille etiam primus Luſo pro Rege creatus,
Auroræ ut populos regeret, memorabilis ille
Almeida, Eoos toties qui ſanguine fluctus
Barbarico rubuiſſe dedit, lauriquè coronam
Navali toties meruit certamine victor,
Reddidit elatam præclaro ſanguine Brittin;
Nam matris fuerat proavus, tantæquè recepta
Semina virtutis nituerunt poſtea Souſis.
Franciſci proles alter fuit inde Philippus
Nomine dictus avi, & Regnum moderante Sebaſto,
Qui cecidit pugnans Lybicæ regionis arenâ,
Regalis menſæ munus ſublime, paratas
Explorare dapes, poſitaſquè incidere carnes
Accepit felix: illum Mauruſia tellus
Horruit hoſtilis tot agentem ſtragis acervos.
Tingi armatur eques: tunc temporis inclyta facta
Mos erat ut fierent duro ſub Marte, priuſquam
Hoc decus acciperent: labuntur tempore mores;
Namquè modò aſpicimus tali ut ſignatur honore,
Pulvere qui nunquàm telum contorſit in hoſtem.
Non ita belligero Souſæ, fortiquè Philippo;
Nam Lybicos poſtquam Maurorum ſanguine fuſo
Latè ditat agros, jungitquè trophæa trophæis,
Pervênit patrias lauro redimitus ad oras.

Alva-

Alvarus hunc igitur Barreto ſanguinis altâ
Nobilitate potens generum elegiſſe ſuperbit,
Datquè Viro Mariam : Barretia virgo paternas
Secum adduxit opes, ac Souſis tranſtulit hæres
Una patris, multiſquè parens fæcunda penates
Partubus exhilarans Cythereæ præmia novit.
Fratribus antetulit Franciſcum gratia ſortis,
Souſiadiſquè patrem noſtris dedit: ille relinquens
Dulce ſolum Patriæ, muroſquè errantis Ulyſſei
Lintea dat vento, & volucri ſecat æquora puppi.
Tertia (non equidem numero, ſed nomine dicta)
Oceani in medio jacet inſula, nobilis arce,
Pinguis humo, dives populo, quam fortè repertam
Inter aquas pelagi non tentati antea proris
Luſus habet, floretquè modo ſic aucta colonis,
Divitiiſquè potens, ut multas ipſa quotannis
Sæpe Tago noſtro ſoleat tranſmittere merces.
Illius ut regimen capiat, populiquè tumultus
Comprimat, huc curſum direxit Souſius Heros,
Et tandem optatâ requievit navis arenâ.
Egreditur, littuſquè premit: tormenta videres
Evomuiſſe crebras ærato ex gutture flammas.
Tympana pulſantur, reſonat tuba læta per urbem.
Ipſi etiam cives, adſunt quæ gaudia cordi,
Fronte monent hilari: jam ſæva fugatur Erinnys,
Jam populo pax alma redit, contemptaquè nuper
Jam colitur rurſus legum veneranda poteſtas,
Atque novo Rectôre novos creat inſula mores.

Dig-

Dignum laude Virum, dignum cui præmia dentur
Rex cenſet, tantoquè exultat Luſa cliente
Maieſtas. Remeat tandem Franciſcus ad urbem,
Atque Tagi auriferi jam ripas anchora mordet.
Gratantur proceres, reduci gratatur amico
Jam ſenior Petrus, cui Maſcaregnia proles
Dat decus, atque viro ſocerum ſe adjungere gaudet
Souſiaco; nec eum Violantia pulchra maritum
Rejicit, & multos Lucinæ experta labores.
Ille autem ex primo qui natus ventre Philippus
Magnæ molis opus Calarîſi adjecit, & agri
Immenſum potuit ſpatium circundare muris.
Hi ſolùm remanent; nam ſicut flamma minorem
Maior edit, penituſquè illam nigreſcere cogit,
Haud aliter Souſæ poſt enati omnia duro
Æquavêre ſolo fundamina priſca Philippi,
Aut ita magnificis auxerunt molibus illa,
Ut latuiſſe putes caligine funditus atrâ.
Poſtquam autem cæli fulgentia tecta petivit
Franciſcus, proleſquè ejus ſine prole Philippus
Nigrarum ſubiit fatalia jura ſororum,
Hæres inde fuit fratrum Laurentius alter,
Conſilio prudens, vultu gravis, enſe ſuperbus,
Noſtrorum huic meritò cuſtodia tradita Regum,
Atque ducem coluit Legio Germana potentem;
Cùm tamen ille genus nullum produceret, atros
Ut primum in cineres tabentia membra reſolvit
Jam ſenior, raperetquè omnes mors impia fratres
Haud

Haud paucos numero (binos hinc excipe tantùm ;
Quorum alter Crati Antiſtes , fuit alter arenis
Æmula Pactôli , tuus , ô Nabantia , Præſul ,
Amboquè connubii fædus celebrare nequibant.)
Tunc patrui ſuſcepit opes , generiquè futuro
Se caput exhibuit , Souſarum maxima ſemper
Gloria , Franciſcus , qui nomine tertius altam
Progeniem cælo æquavit , lateque per orbem
Souſiacæ famam potuit diffundere gentis.
Filius Antoni fuerat , qui dulcia matris
Ubera poſtremus natorum ſugere quivit :
At prior interiit , quàm fratres, inclytus armis,
Inclytus ingenio ; nam primo in flore juventæ
Urbem adiit , gelido quam ditat flumine Monda.
Pallados hìc doctæ dulces Antonius Artes
Audiit , & Legum didicit præcepta Sacrarum ;
Ut verò in Patriam rediit , lugente Minervâ ,
Libertatis amans Luſæ , Regniquè labantis
Martius aſſertor , thoraca indutus ahenum
Pulvere tela vibrat , Lyſiamquè tuetur ab hoſte.
Exin littoribus noſtris avertere prædas
Neu Lybici poſſent prædones , æquora tranat,
Neptuniquè humeros bellanti puppe fatigat.
Hoſtiles fugiunt naves ; maria humida verrit
Victor : at horriſonâ ſubitò aſſurgente procellâ ,
Infelix juvenis ſpumoſâ raptus ab unda
Frigida depoſuit liquido ſub marmore membra.
Illum Nereides circa flevere peremptum ;

Ipſa-

Ipſaquè cærulei pelagi Regina cadaver
Amplexa in lacrymas diſſolvitur, atque profunda
Æquoris undoſi latè loca queſtibus implet;
Namque ſibi in generum Souſam accepiſſe parabat.
Flevit Monda Virum, flevit Tagus, atque cruentum
Ingemuiſſe ferunt Martem, pontique Tyranno
Supplicium ſceleris ferro, flammâquè minatum.
Quot mæſtam vidi Eleonoram, conjuge rapto,
Fletibus immerſam? Suſpiria quanta dolenti
Pectore diffudit flavos laniata capillos?
Inviſam ſæpe eſt conata abrumpere vitam,
Ni genitor dextrâ poſſet cohibere furentem,
Franciſcus genitor bis nobilitate colendus;
Nam claro adjunxit generi virtutis honores.
Eleonora patris mores imitata pudicos,
Virtutumquè omni genere inſignita refulſit
Tanto digna Viro: Melli cognomine claro
Dicta fuit; quamvìſquè pater Franciſcus haberet
Fariæ cognomen, cum cognomine vano
Rejicit, ac ſolùm virtutibus eſſe ſequendum
Jure putat. Charo binos ex conjuge natos
Edidit ingenio ſimul ambo, & ſanguine fratres.
Franciſcus primùm, Ludovicus poſtea lucem
Vidit, & obſcurâ matris ſe prompſit ab alvo.
Poſt mortem Antoni, commercia fugit alius
Eleonora viri, tædaſquè exoſa jugales,
Etſi illam multi procerum petiere maritam,
Sola vacat cælo, maceranſquè nitentia membra,

Aſſiduiſquè parans precibus lenire Tonantem,
Sedula curat iter Patriæ cæleſtis adire.
Bina capit binam duri ſolatia caſûs
Progeniem, & ſenſim premit altum corde dolorem.
Non tamen omnino ſpumoſâ Antonius urnâ
Conditur, & magnâ Libitinam illudere quivit
Parte ſui; quoniam magni genitoris imago
Natus uterque manet. Juvenili ætate docentem
Sanctorum ſecreta Patrum, ſecreta verendæ
Mentis, & æternam quidquid de numine notum,
Vidit arenoſo Ludovicum in margine Monda.
Palladis hìc primum moderanti Europa ſedile
Quot juveni exhibuit laudes? Contempſit Athenas
Herculeâ fundata manu Conimbrica, Souſam
Dum videt ingenii pugnis ſe inferre potentem,
Utquè hoſti præcludat iter, diſponere contra
Formidanda quidem bino Dilemmata cornu.
Quis par inſigni Ludovico, libera currat,
Vel ſonet Aoniis oratio vincta catenis?
Magna quidem meruit divinæ præmia mentis;
Sed quamvis habuit Lamêcum, & Brachara dignum
Præſulem, & à Petro Legatus miſſus ad urbem,
Quam poſuit juvenis nutritus lacte ferino:
Ac licèt in Patriam remeans tot adivit honores,
Parva Viri tanti meritis ingentibus adſunt
Præmia; ſed famæ præconia maxima ſæclis
Te, Ludovice, dabunt plaudendum Herôa futuris.
Franciſcus fratri ſimilis, magnæquè columna
Prima

Prima Domûs,navē aſcendens,Patriamquè relinquens,
Solvit ab Arrabidæ portu, ventiſquè ſecundis
Nobilis Italiæ ad felicia littora venit.
Hìc poſtquam pedibus ſummi Patris oſcula figit,
Chriſtiadûmquè caput coluit, Romæquè ſuperbam
Aurea conſpexit minitantem ſidera molem,
Diverſos hominum mores, diverſaquè vidit
Europæ Regna, & tantûm commercia linguæ
Callúit omnigenæ Franciſcus, ut eſſe putabat
Gallus eum Gallum, cenſebat Iberus Iberum,
Credidit Auſonium Auſonius, Batavuſquè Batâvum,
Londiniquè putat cunas habuiſſe Britannus.
Præditus ingenio ſublimi ita clarus in arte
Fulſit Apollineâ, ut Parnaſi ſceptra teneret,
Carmina ſeu patrio moduletur, ſeu ore Latino.
Illi ergo ex Niſâ dulci memoravit avena
Claſſis iter, magnum cecinit qui poſtea Regem
Gallorum, Coculinus, adhuc ætate negante
Veſtiri teneras primâ lanugine malas.
Ipſe etiam ſalibus, multoquè lepôre Vahia,
Ad gelidam Mondæ vates celeberrimus undam,
Franciſco ſacravit Opus, varioſquè viarum,
Quos libuit caſus numeris aptare jocoſis.
Luſus Apollo fuit, pluſquè aurea carmina pangens,
Marmora quàm ponens Calarîſim reddidit auctam.
Nec minùs ingenio, quàm moribus inclytus, urbem
Vinxit amore ſui: juvenum mirabile porrò
Adſtitit exemplar, procerum lux maxima fulſit.

Alphonſo , Petro , ac Joanni Regibus ipſe
Charus ita , illorum ut Cuſtodia credita Souræ ,
Atquè ſatellitii Germani ductor honorem
Tranſtulit illuſtri nato , magnoquè nepoti.
Præſide Franciſco duplicis memoranda Senatus
Gloria floret adhuc : Regni Status ille triformis
Quid ſine Franciſco potuit decernere magnum ?
Cùmquè Vir egregius prudentis imago Catonis
Viva foret , meritò Petrus , Quintuſquè Joannes
Conſilio junxere ſuo. Quid jactat avitâ
Nobilitate genus ſe Souſium ? Honore ſupremo
Sat decorare Domum potis eſt Franciſcus : ab illo
Quicunque enati , & totum naſcentur in ævum ,
Obliti veteres proavos turgeſcere poſſunt.
Quid memorem bello clarum , Patriæquè labantis
Auxilium ? Pariter vibravit dextera telum ,
Atque lyram percuſſit : Eum Calarîſis habebat
Laxantem curas , & florea prata colentem :
At Luſo cladem minitans , ſceptroquè potiri
Belliger Hiſpanus numeroſo rura premebat
Milite ; nec Lyſius contrà ire exercitus audet
Viribus inferior : mæſtam timor occupat urbem ;
Auxiliumquè parans afflictis mittere rebus ,
Illico Franciſcum Calarîſim linquere gratam
Rex jubet , atque novos pugiles adſcribere bello.
Nec mora : Souſiacus vaſtat cultoribus agros ,
Cetubalæquè legit juvenes , Martemquè laceſſens
It celer , Heſperium queat ut frænare Leonem.

Ag-

Agmina Luſa tamen, gelido quæ oppreſſa timore
Non hoſti audebant nuper ſe opponere contra,
Conſcia Franciſci venientis, in arma feruntur,
Atque novâ virtute animos induta feroces
Per gladios, per tela ruunt, hoſtemquè cruentâ
Clade premunt, noſtriſquè ſedet victoria ſignis;
Nam ſatis ut palmam Luſus potuiſſet habere,
Franciſcùm veniſſe fuit: plus Cæſare Souſa
Se jactare poteſt: vicit, quin cerneret hoſtem;
At verò Cæſar venit, viditquè priuſquàm
Vinceret: ire viam ſatis eſt, ut lapſa ſuorum
Pectora firmentur: ſatis eſt, ut vincat Iberum.
Ergo, Souſiadæ magni memorabile ſemper
Nomen erit, Patriamquè licèt dubitare videmus
Num mage pacis, utrùm Franciſco tempore belli
Debeat? utcunquè æterno celebrabit honore
Officioſa Virum. Fuit illo conjuge digna
Filia Joannis de Almeida, illuſtris avorum
Quem ſanguis, virtuſquè ſimul benè cognita Gangi
Lyſiacos inter proceres evexerat aſtris.
Hæc igitur magni Franciſci nobilis uxor,
Formoſiquè patris ſoboles formoſa pudicis
Moribus increpuit, formâ ſuperavit Achivam
Tyndariden, ſimiliquè æquavit nomine dicta.
A patrio ſumpſit Regno cognomen, & illi
Hactenus ignotum eſt, Helena an felicior orbe
Tali nupta Viro, ſeu talibus obſita natis?
Quadruplici partu dedit orbi ſidera bina,

Atque

Atque duos Soles ; ſed cùm quereretur Olympus,
Dimidiamquè dari ſibi partem jure petiſſet,
Altera ſtellarum Eleonora in ſede locatur
Æthereâ , cæliquè aſtris immiſta quieſcit.
Poſtea, Sol alter , ſtellantia Regna Philippus
Ingreditur : verùm contraria fata rependit,
Amiſſumquè ſimul Violantia pulchra Joanne
Subſtituit cum fratre jubar : Violantia pulchra ,
Quæ poſtquàm Auguſtæ Virgo famulata Sophiæ ,
Franciſco nupſit , decorat quem Mellia proles ,
Agnoſcitquè ſuum Ficalia terra Dynaſtam.
Chari morte viri , ſoboles cùm nulla fuiſſet ,
Quæ vultu referens patrem ſolamen adeſſet ,
Heu quantùm eſt lacrymis oculos ſuffuſa nitentes ,
Quantaquè concuſſo ſuſpiria pectore fudit !
Haud ulli procerum thalami potuere dolentem
Flectere : ſola domi mæret , magnoquè ſuarum
Pondere virtutum cæleſtia mænia pulſat.

Egregius frater , qui æternâ laude Joannes
Dignus adeſt , magniquè parentis fulget imago ,
Sæcula noſtra beat , meritiſquè ingentibus auget
Souſiacam latè ſobolem. Sacra Jura profundo
Ingenio didicit juvenis , cultorquè Minervæ
Aureus : illum habuit Sapientia veſte rubenti
Indutum , & Pauli Collegia docta colentem :
Ut verò ex Mondâ lauro redimitus abivit ,
Conſpicuus meritis adiit præclara Sacerdos
Munia ; nam vigili curâ Cervanius Abbas

Primùm

Primùm pavit oves, celſoquè adduxit Olympo.
Mox Chorus illuſtris, quem Sacrâ in Sede Tonanti
Fundentem alternas laudes Conimbrica cernit,
Joannem obtinuit ſocium; ſed protinus illum
Deputat, atque ſibi adjungit, quod recta Tribunal
Dogmata propugnat Fidei, tandemquè ſupremum
Inquiſitoris adeſt munus, vultuquè benigno
Sæpe reis parcit, veniamquè petentibus offert:
Sæpe pius modicæ committit crimina pænæ.
Inclytus Antiſtes Vimaranius inde creatur,
Conjugiiquè ſacri ſic magno incumbit amori,
Ut licèt alterius connubia conjugis eſſent
Nobiliora quidem, & maiori prædita cenſu,
Etſi oblata forent, eſſe accipienda negavit.
Tanti fida equidem facti venit Infula teſtis,
Infula, quæ populos Algarbia regna tenentes
Sub ditione tenet, facinus laudabile cunctis
Joannes peperit, credo autem imitabile nulli.
Magnanimum idcirco Reges Herôa ſecundus
Petrus, & illius generoſa propapo, Joannes,
Tollere Souſiadam digno conantur honore,
Cortiniſquè ſuis adhibent: maiora dediſſent
Munera, deſpiceret ni Vir præclarus habere
Maxima. Quid vitam memorem ſine labe peractam,
Ac plenum candore animum, frontemquè benignam?
Prætereo pectus mirâ pietate refertum,
Pauperibuſquè manum generoſam. Plurima debet
Incrementa quidem Calarîſis noſtra Joanni.

Ille

Ille ubi magnificam non ultrà excurrere vidit
Poſſe Domum, finemquè operi poſuiſſe ſuperbo,
Protinus Imperio Floræ nova jungere Regna
Curat, & Aprilis depictam extendere pompam;
Et ne ſub Cancro ferventi gratia florum
Læſa cadat, gelidos fontes deducit ab imis
Viſceribus terræ, cogitquè canalibus undam
Veris odoriferi florentem inviſere ſedem.
Hìc tibi, Joannes, ſuadent ridentia prata,
Hìc liquidi fontes, hìc mollia gramina vitam
Ducere tranquillam, & longam ſperare ſenectam.
Adſis, ô, igitur, venerande Antiſtes, & urbem
Turbatam luxu, & turbatos effuge mores:
Effuge, Joannes; nam cùm Domus alma quietis,
Cur modò te placidum tua non Calarîſis habebit?
Inclyta Souſiadûm, & Franciſco digna parente
Progenies, etiam Emmanuel ſtat maxima Luſi
Gloria, quem meritis ſublimem æquare canendo
Muſa nequit, quamvis Aganippidos hauriat undam.
Ille ubi nutricem poſuit, primûmquè tenellis
Cæpit iter plantis, avia Eleonora (diſerti
Franciſci fuerat, virtutibus inclyta, mater)
Educat, atque piis charum inſtruxiſſe nepotem
Moribus intendit, pariterquè ut patris imago
Surgeret Emmanuel, gaudet coluiſſe Minervam.
Ergo, ut vaſta puer linguæ præcepta Latinæ,
Qui quondam Auſoniâ miratum redderet orbem
Voce loquens, didicit; capiens tot mente figuras
Ver-

Verborum audivit leges, rectèquè loquendi
Aurea jura bibit: Collegia protinus intrans,
Quæ magni Antoni ſub nomine clara peritus
Jeſuada, ex alto gens nobis æthere miſſa,
Incolit, & Pallas ſibi doctam legit in arcem,
Quæque Stagirites docuit, ſcrutatur, & omnes
Sic potuit felix rerum cognoſcere cauſas.
Ulteriùs tranſire parat, juſſuquè parentis
Protinus ire viam, & Luſum coluiſſe Lyceum,
Quem rigat Hermineo veniens ex monte nivalis
Monda potens lymphis, & multâ flavus arenâ.
Numinis at verò ſupremi tactus amore
Caïetaniadûm ſacros intrare penates
Curat, & aſſuetis ſe tandem adſtringere votis.
Hìc jam pubeſcens ita pollet acumine mentis,
Aureus ut Sophiam potuit docuiſſe Magiſter,
Et varias rerum patefactas reddere cauſas.
Quin etiam evecto calamo ſuper aſtra, Tonantem
Unum, Infinitum, Immenſum, maioraquè captu
Aſſerit humano, Cathedrâ ſubtilis ab altâ.
Ordinis ut ſacri dignum caput eligat, urbem,
Quam beat Auſonius fluvio Tyberinus amæno,
Emmanuel petiit: peregrinum haud credere quivit,
Dum veluti patrio, audivit ſermone loquentem
Roma ſuo: ingenii laudes, ac ſtirpis honores
Hìc latè accepit, miratiquè Arcades ipſum,
Atque ſibi ſocium clara hæc Academia Souſam
Paſtoris Thelami ſignatum nomine legit.

N Ter-

Tertius ad Lyſiam remeantem Coſmus, Hetruſcos
Qui ſibi parentes populos Dux Magnus habebat,
Comiter excepit, nec non donatus abivit;
Namque (alia omitto generoſæ munera dextræ)
Relliquias veſtis, quâ indutus quinquè recepit
Franciſcus plagas Domini, venerabile donum,
Quo pretioſa queat Calarîſia reddere Templa,
Souſiadæ tribuit: ſervat modò pignora ſacra
Fulgida cryſtallus cordis ſortita figuram:
Huic verò duplex argenteus Angelus offert
Alatos humeros: ſtellanti ex jaſpide cernes
Conſtructam ſediſſe baſin ſub mole nitenti.
Servatum ex undis Catalaunia littore tuto
Excipit, ac Luſas, celebratâ pace, cohortes
Quærentes Patriam ſequitur, tandemque coronæ
Lyſiacæ ingreditur fines, ſocioſquè reviſit
Urbis Ulyſſeæ, queis bis moderatur habenas.
Munia, quæ doctam quærunt ſublimia mentem,
Accepit varia, & ſummâ cum laude peregit,
Aſcendenſquè gradus omnes, tetigiſſe ſupremum,
Sub quo per populos ſacras diffundere merces
Aſſueſcit Cruciata ſuas, nunc Souſa videtur.
Maiora acciperet, meruit qui maxima ſemper
Sanguine, & ingenio; atque albentes Infula ſacra
(Non ignota loquor) poſſet decorare capillos.
Omnia rejecit generoſo pectore Souſa,
Avelliquè ſuis nequiit contemptor honorum,
Caietaniadaſquè inter, ſocioſquè diſertos

Ma-

Maluit Emmanuel placidam tranſire ſenectam.
Conſilio Joannis adeſt, ipſoquè jubente
Inſigni Lyſiæ Rege, inſperata Minervæ
Gaudia ſollicitat, dum celſa palatia doctis
Fiunt Aula Viris, felixque Academia ſurgit.
Ille, Cygnuſquè Tagi (quis non Ericeira, vibebit
Te dici?) leges poſuit, ſervandaquè jura.
Antiquam Regni Hiſtoriam caligine cæcâ
Immerſam Sociis donandam luce diſertâ
Diviſit, maiore tamen ſibi mole relictâ;
Cui facundus Atlas incumbit, & ore Latino
Romanos longè ſcriptores anteit omnes.
Faxit Olympus uti queat aſpectare ſenectæ
Tempora longa ſuæ, ut doctos finire labores
Poſſit, & æterno celebretur Lyſia plauſu.
Cùm verò Emmanuel cerebro potuiſſet ab alto
Facundam æthereo meliùs Jove fundere Divam,
Regia Cenſôris dedit illi Academia munus.
Inclytus Orator pendêre loquentis ab ore
Quem non cogit? Eum mirata palatia ſemper,
Cùm Reges vitæ celebrantes lumina prima
Elogio exornant ſublimi ad ſidera tollit,
Hocquè illis dono felices aſſerit annos.
Doctiloquum ſtringens enſem, veniſſe Jacobum,
Callaicumquè ſolum pedibus calcâſſe peritus
Propugnat Souſa, & centenis teſtibus ipſum
Divi oſtendit iter, quo Hiſpania tota ſuperbit.
Extemplo Luſos Patres, queis Inſula quondam

Externâ regione fuit, dedit orbe legendos;
Sed maiora dabit, cùm luci immittet apertæ
Quod Ducis egregii tumulo ſacravit inani
Elogium unius meditatum tempore noctis.
Adjunget pariter duodenas ipſe Columnas,
Queis ſoboles innixa Ducis ſe attollet Olympo.
Braſiliâ verò poſtquam regione Vieira,
Tullius ille Tagi, ſenio confectus obivit,
Signavitquè viam cælo nitidiſſima flamma,
Atque Viri tanti extremos indicet honores,
Ac tumulum ingentem, feralia munera, ponet
Inclytus ille Comes, patriæ decus urbis, & orbis,
Xavier, inſignem tunc magnus Souſa Vieiram
Laudibus afficiet dignis, latèquè ciebit
Jeſuadûm lacrimas, cùm ſacrâ Orator in Æde
Antoni eloquium potuit rapuiſſe perempti,
Facundoquè novam reddet pro munere vitam.
O utinam Emmanuel fieri quoquè publica terris
Ingenii numeroſa ſui tot pignora vellet,
Queis potuit frænare olim Tyberina fluenta,
Nunc que Tagum cogit tumefactum ſurgere ripis.
Aöniæ meritô dulcis, Pindiquè ſonantis
Stat Princeps: igitur Sacro in Certamine vati,
Quandoquidem: *numeris Agnum celebrare latentem*
Nemo poteſt: calamus datur aureus: aurea ſolùm
Aureus ingenio ſibi præmia danda merebat.
Et genus, & Patriam decorat dulcedine cantûs
Luſus olor, noſtrumquè Tagum facit eſſe Cayſtrum.

Hic

Hic tibi Mæcenas pendentia ſumere plectra
Suadebit, rurſuſquè lyram ſub pulvere merſam
Sollicitare manu; cùm verò flebile carmen
In Ducis interitu mærens tua tibia fundet,
Corriget Emmanuel, limamquè imponet acutam.
Si tales ergo Franciſcus habere minores
Obtinuit natos, qualem cenſebo Philippum,
Qui maior, primuſquè fuit? brevioribus autem
Quam fratres, annis, qui æternos vivere dignus,
Occidit, ac tumulo tantem requieſcit avorum.
Tali orbata Viro gemit Ervededia tellus,
Et lacrymis diffuſa polum Certania mæſtis
Incuſat latè: ſuſpiria fundit ab imo
Pectore, quæ tantum Calarîſis adaucta Philippo eſt.
Heu! quantùm Luſi Reges, Cuſtodia quorum
Souſiadæ commiſſa fuit, regimenquè Cohortis
Teutonicæ: quantùm triplici gravis ille Senatus
Ordine diſpoſitus: quantùm quoquè Lyſia noſtra
Perdidit! haud unquàm Luſæ reparanda coronæ
Omninò adveniet tanti jactura clientis;
Sic etenim meritis, jàm ſanguine clarus avito,
Floruit, ut conjux illi Catharina daretur,
Alta Meneſiadûm ſoboles, Alegrettia Princeps,
Stat cui laus omnis multò minor, inclyta patre,
Fratribus, atque Viro, & pariter nunc inclyta natis;
Sed magè virtutum nimio ſplendore ſuarum
Stat Lyſias equidem præclara Heroidas inter.
Emmanuel Telles, Alegretti Marchio primus

Emma-

Emmanuel prole, & calamo ſat cognitus orbi,
Hanc genuit, thalamum quæ poſt ingreſſa Philippi
Souſia multiplici ditavit limina partu;
Et nunc læta parens natos circunſpicit omnes
Luce frui: ſolùm materno ex ventre Maria
Vix excluſa dedit languentia colla ſepulchro.
Natarum æquatur numerus poſt fata ſororis
Impia: tres harum ſacrat Catharina Tonanti,
Dimidiamquè ſui dat partem cordis Olympo.
Eleonora prior ſedis ſtellantis amore
Concita, ſpemquè omnem fortunæ abjecta benignæ,
Spem quærit, ſacrâquè libens includitur arce.
Dilectæ exemplum Violantia, & Anna ſororis
Inſequitur, vitamquè Deo puerilibus annis
Conſecrat: adſtrictâ ſub Relligione manentem.
Felices animæ! quas nobilitate parentum
Contemptâ,patriiſquè opibus, pompâquè Domorum,
Sic rapuit virtutis amor, ſediſquè micantis
Sic allexit amor, mundo ut poſſetis ab ipſo
Tantum ferre modò tam parvâ ætate triumphum!
Æthereo Regi triplicem Catharina dicavit
Progeniem; at Luſis duplicem pòſt Regibus ultro
Officioſa dedit: ſolum Marianna parentis
Stat lateri: Marianna, daret cui paſtor in Idâ
Poſthabitâ Veneris formâ mirabile pomum.
Hanc ſibi in uxorem veniens Antonius altâ
Ab ſtirpe, illuſtris Mello, ſignanſquè juventæ
Primo flore genas, juvenum pulcherrimus, olim

Ad-

Adjunget, cælebs meritò quem vita deceret,
Ni Marianna foret, quæ ſolùm hoc conjuge digna.
Illa viri ſtabilem numeroſâ prole relinquet
Multoties fæcunda Domum, cernetquè per Aulam
Ludere jam ſenior pulchros Marianna nepotes.
Germanæ illius Regalia tecta colentes,
Quæ nunc ex Elvis comitantur Ulyſſis in urbem,
Hiſpanum Solem Mariannam, quæque refulget
Sic meritis celſa ut ſublimibus aſtra laceſſant.
Ingenio, ac virtute pares, ambæquè nitenti
Æquales vultu, & diverſæ nomine tantùm.
Hæc Ludovica, Helena illa eſt: Badajoſia nuper
Mænia, Iberorumquè palatia fulgida Regum
Auratis Ludovica rotis invecta petivit,
Principis ut noſtræ, cujus fuit ante Cubili
Præpoſita, eximium virgo ſatiaret amorem:
Indequè poſt lacrymas, regaliſquè oſcula dextræ
Auguſtâ donata manu remeavit ad Elvas.
Quàm citò læta dies veniet, quâ Luſus Adonis,
Egregius juvenis, cui eſt Figueiredia proles,
Atquè ſuum Baccho pinguis colit Otta Dynaſtam,
Lyſiacam Venerem Ludovicam in fædera dulcis
Hymenis adjunget, tantoquè ſuperbus honore
Inclyta miſcebit proavorum ſtemmata Lunis.
Conjuge cum dulci Calarîſia tecta petentem
Aſpicio illuſtrem Rodericum: hic poplite flexo
Quæ Celſas Diana fores, innixa camino,
Stat contra, & primam venatrix occupat Aulam,

Præg-

Prægnantem telis pharetram, nemoriſquè propinqui
Offeret imperium Ludovicæ. Quanta parentis
Gaudia! cum tali genero Catharina triumphet,
Exultanſquè novo videat ſplendore micantes
Souſiadûm Lunas; quoniam præclarus ephebus
Nos cogit dubitare, magis num moribus ipſe
Eximiis niteat, num prole refulgeat altâ?
Ille quidem nimias ſobolis radice coronas
Regales tangit: non nè eſt Lancaſtria proles,
Caminiæquè Ducum pronepos? I, conſule matrem,
Quæ Valladarii Comitis dilecta propago
Tot ſanè numerabit avos longo ordine Reges.
Nec minùs eſt Petro Rodericus patre colendus,
Plus autem celebrandus avo, cui Lyſia debet
Libertatis opus, totquè erexiſſe trophæa.
Imperio illius ſe ſe Ultramontia tellus
Jactat adhuc, monſtratquè albentes oſſibus agros,
Oſſibus Hiſpanis, memoratquè ſuperba triumphos,
Queis olim tumidos fregit Rodericus Iberos.
Reddidit enſe Domum plus claram; at conjuge rurſus
Extulit, atque modo radiantia ſidera tangit.
Namque Meneſiadûm flos ille, Capralia Virgo,
Gloria Belmontis, magnorum à ſanguine Regum
Edita, gaudet amans talem accepiſſe maritum.
Illi etiam Petrus tunc Princeps, poſteà Luſi
Rex magnus, magniquè pater Joannis, honorem
Præbuit Auratâ reſerandi Clave Cubile
Et Clave Auratâ veſtem decorare ſuperbam.

Atta-

Attamen inſigni quamvìs Rodericus avorum
Clareſcat famâ, & regali ſtirpe decorus
Lyſiadûm valeat proceres æquare ſupremos,
Clarior inſurgit virtutibus, atque ſeniles
Ætate in viridi ſimulatus moribus annos
Calluit indomitæ compeſcere fræna juventæ.
Quin etiam immenſo Muſarum raptus amore,
Sedulus exercet bifidi commercia montis,
Evigilatquè libris: potuit non doctior alter
Abdita rimari Latiæ penetralia linguæ.
Hic amor, hoc ſtudium juveni: jure ergo potiri
Solùm digna fuit tanto Ludovica marito.
Non Helenæ pariter cælebs jam vita fuiſſet,
Conjugium illius, ſi, quis mereatur, adeſſet:
Attamen illius dextram, thalamumquè merebit
Joſephus, proceres inter, Regniquè Dynaſtas
Præclarus juvenis, quia Vaſconcellia proles
Fulget, avis, ataviſquè potens; cui cognita poſtquàm
Fama Helenæ, Minii fæcundos deſeret agros,
Ingredienſquè urbem celebrabit fœdera tanti
Hymenis, atque Helenam, propter quã Troia perire
Æquiùs, uxorem felix potietur, & ambo
Longa nimis placidæ numerabunt tempora vitæ.
Hæ natæ illuſtris Catharinæ; at maſcula tandem
Heroinæ hujus, magniquè propago Philippi
Franciſcus, fratrum qui maior, & inde ſecutus
Emmanuel, Ludovicus item, demùmquè Joannes,
Qui Melitenſis eques Turcas (ut patruus olim,

O Joan-

Joannes etiam) delebit ſtrage cruentâ,
Et Mahomettiacas Souſarum cedere Lunis
Victor aget Lunas: illo ductore triumphos
Relligio immenſos numerabit, & hoſte fremente,
Pandet Idumæas victricia ſigna per oras.
Et Patriam, & ſobolem Mavors Calarîſius enſe
Evehet aſtra ſuper: nunc vectus claſſe per undas,
Prædones poſtquàm retro dare vela coegit,
Legato Melites, qui Lyſia ſceptra petivit,
Stat comes, & fratres inter, charamquè parentem,
Mox inter undoſum ſubiturus nave quieſcit.
Emmanuel verò, Ludovicuſquè, ambo Minervæ
Cultores docti, ſacros ubi Monda penates
Diruit, & vaſto ſubmergit flumine Claram,
Purpuream induti chlamydem, quâ Paulus alumnos
Aſſueſcit decorare ſuos, certamine Legum
Sacrarum triplici triplicem meruere coronam:
Obſtupuit Cætus: diviſa eſt Pallas utroque
Fratre, objecta ſibi dum haſtilia quiſque retorquet,
Aureaquè oppoſitis præbet reſponſa Magiſtris.
Quàm breviter frontem Peneide cinget uterque
Arbore! Quàm breviter Calarîſia tecta beabunt,
Cùm meritò Patriæ celſos potientur honores!
Denique Franciſcus, generis caput, atque paternæ
Hæres jure Domûs, maior Maioribus, ille
Souſiacæ ſplendor ſobolis, fratrumquè corona,
Cui datur auguſtos Lyſiæ defendere Reges,
Germanæquè præeſt Legioni ductor, & omnes,

Quos

Quos pater obtinuit, meritos accepit honores,
Nunc memorandus adeſt; ſed flavus Hyantida totam
Etſi carminibus noſtris propinet Apollo,
Talem Muſa Virum numeris celebrabit ineptis.
Ille juventutis jam primo in flore niteſcens,
Moribus illuſtrem ſobolem teſtatur, & annis
Virtutes augêre ſolet: non mollia pectus
Otia debilitant; perdit non alea tempus,
Nec populatur opes: pariter cum fratribus ipſe
Exercetur equis, illoſquè in pulvere cogit
Nunc celeri rapidos curſu prævertere ventos,
Nunc flexos tardare pedes, nunc orbibus orbes
Ingeminare citos: lucis modò figere cervos,
Spumanteſquè apros telis aſſueſcit acutis.
Horrida belligeri Martis licèt arma ſequatur,
Cæſaris exemplo monitus Franciſcus, & enſem,
Et gladium aptavit dextræ: ſub Pallade noctes
Evigilat, dulcemquè volumina docta quietem
Objiciunt ſemper juveni. Quæ lingua per omnem
Europam diverſa ſono, diverſa loquendi
Stat genere, inſigni quæ non benè cognita Souſæ?
Idcirco penetrata ſibi poſt viſcera mundi
Antiqui, vicina magis tot facta Virorum,
Tot Regum hiſtorias, tot acerbi prælia Martis
Calluit, ac meritò Sociis Academia junxit
Regia, & Orator potuit facundus in Aulâ
Sæpe quidem eloquii Romani æquare parentem.
Jure igitur Regum binorum vita diſerto

Stat calamo commiſſa Viri , ut mendacia famæ
Ora premat , juſtum quæ Petrum , ac legis amantem
Ultorem , immeritò Crudelem nomine dixit.
Agnêtis pulchræ connubia vera patebunt,
Agnêtis pulchræ , quæ charo à conjuge mæſtos
Poſt cineres habuit Regnum , poſt fata coronam
Regalem accepit : ſimul excuſabilis orbi
Ferdinandus erit , Souſâ ſcribente ; nec ipſum
Ulteriùs poterit quiſquam præſtingere Regem ,
Ni ſolùm ardentis qui ſpicula neſcit Amoris ,
Atque ignorat adhuc ſit quanta potentia formæ.
Sed modò Franciſci calamo licèt otia dentur,
Commiſſoquè Operi nequeat protendere fila,
Regis ob adventum, cujus Cuſtodia Souſæ,
Pomberioquè datur Comiti ; ductorquè Cohortis
Quiſque ſuæ ex Elvis oſtroquè, auroquè nitentes
Lyſiacum Regem lætam comitantur ad urbem :
Attamen ut primùm per Achivi mænia cauti ,
Perquè triumphales arcus , interquè frequentis
Applauſus populi conducens ſidus Iberum,
Formoſamquè nurum Joannes nomine Quintus
Adveniat tandem, & regali in ſede quieſcat ;
Mox Operi incepto facunda per æquora rurſus
Vela dabit placidus jam Souſa ; at ponere finem
Fata negant , quoniam immaturâ morte prehenſus
Occidet , ille Tagi ſplendor , ſoboliſquè columna
Aurea Souſiacæ , atque decus memorabile Pindi ,
Franciſcus : lacrymis Calarîſis tota madebit.

Flebunt

Flebunt Souſiadæ fratres, cognataquè Luſi
Nobilitas Regni. Prohquantùm Lyſia perdes!
Regalis Socium mærens Academia tantum
Plorabit, ſolitoſquè illi decernet honores,
Funebris elogii ſtamen componet amicus
Franciſcus Xavier Meneſius, inclytus ille
Ingenio, proaviſquè Comes, Souſamquè ſepultum
Laudibus afficiet dignis, nomenquè relinquet
Illius æternum, & ſæclis memorabile cunctis.
Tu quoque, noſtrorum ſoboles clariſſima Regum,
Marchio Valencæ, de quo dubitamus, an alto
Sanguine, an ingenio ſis nobis maior habendus?
Franciſci matrem poteris lenire dolentem,
Facundum attrectans calamum. Lucroſa nitebit
Mors Souſæ egregiis Scriptoribus aſtra petenti:
Nec ſolùm idcirco Libitinæ dira cruentæ
Franciſcus ſolvet conſtanti pectore jura;
Sed ſimul adveniet quòd frater proximus illi,
Inclytus Emmanuel, ſimilis virtutibus, hæres.
Ille Domûs capiens rectum moderamen avitæ,
Moribus indutus fraternis, atque potitus
Omnes, quos habuit meritò Franciſcus honores,
Souſiacam prolem ſtellanti æquabit Olympo;
Namque peregrinis cùm uxorem quærat in oris
Regalis generis claro ſplendore nitentem,
Danubii tranabit aquas, ſolùmquè Viennæ
Inveniet pulchram, & magnis à Regibus ortam,
Omniaquè Europæ tangentem ſceptra propinquo
San-

Sanguine: præſago veniunt mihi gaudia magna ;
Sed maiora olim venient, cùm illuxerit orbi
Illa dies Souſis albo numeranda lapillo:
Illa dies nimiùm felix, quâ poſſit amantis
Conjugis Emmanuel dextræ conjungere dextram.
Nunc autem plectro quoniam numeroſus eburno
Souſiadas celebrare cupis, connubia tanta
Largiùs exponam, & fatorum arcana docebo.
Tu quæ vaticinor ſub pectore conde ſilenti ;
Illa tamen breviter cernes, labentibus annis.
Emmanuel veniet: dilectus avunculus, ille
Tarouca inſignis, Lyſiæ Legatus in urbe,
Quâ ſedet Imperii Carolus moderator, amico
Hoſpitio accipiet, feſſumquè labore viarum
Protinus ad pictæ ducet viridaria Floræ.
Hìc Dux Holſteini claro viduata marito
Adveniet; natæ binæ comitantur euntem,
Utraque pulchra nimis; ſed eam, quæ maxima natu,
Eſſe Deam florum cupient viridantia prata:
Hac viſâ Emmanuel pharetrati vulnus Amoris
Accipiet corde, & cæco carpêtur ab igne.
Ardet amans, pulchrâquè oculos in virgine fixus
Hæc in mente inquit: Si nobilitate parentum,
Quo nitet ore, nitet Venus hæc Germana, beatus,
Qui queat illius thalamum meruiſſe, maritus.
Hæc ſecum; at matris fratri ſic ore loquetur.
En numerus ſanè ſit maior, avuncule, florum,
Quos habet hæc ſtatio nitidiſſima veris amæni.

Dic

Dic mihi qui flores hi ſint, & ab arbore quali
Proveniant? Florum ſi miro vivit odore
Quiſque colit Gangis fontem, ſenſuſquè tenendæ
Vitæ robur habent, viſu hoc ego vivere poſſem.
Tunc Tarouca: Hæres Franciſci fratris haberi
Jure potes: mentem illius facis eſſe renatam.
Ergo agè, da ingenii fructus, floreſquè ſuperbi
Regales Iſtri divino carmine dona.
Ipſe etiam plectrum caperem, laudeſquè dicarem
Ni mihi, quæ quondam fuerat, jam lapſa jacêret
Virtus, quâ toties cinxit mea tempora laurus.
Nunc tibi qui flores hi ſint, & ab arbore quali
Proveniant, narrabo libens; nam tempore longo,
Quo me Legatum Luſi Germania Regis
Aſpicit, agnovi procerum genus omne ſuorum,
Præclaraſquè Domos, gelidus queis Iſter abundat.
Hæc eſt Holſteini Dux clara: hæc utraque nata
Illius, atque Ducis Frederici eſt filia pulchra.
Mater nomen habet Mariæ: dedit Itala tellus
Radicem illuſtris generis; nam Iſnardina proles
Enitet, Auſoniæ proceres, ipſumquè Sabaudum,
Sardiniæ Regem, generoſo ſanguine tingens.
Ante diem rapuit crudelìs Parca maritum,
Cui Chriſtianus erat, Chriſtianus Tertius ille
Nomine, quem coluit Glacialis Dania Regem,
Quintus avus, quoniam potuit generare Joannem;
Aſt hic Alexandrum, hic Auguſtum, Auguſtus ab illo
Alter, ab hoc tandem Fredericus naſcitur: omnes
Holſte-

Holſteini fulſêre Duces, qui jura ſubactis
Dant populis, aurumquè ſuo ſub nomine ſignant
Ut Reges: tantùm genus hoc ſublime refulget!
Nobilitate aliâ non inferiore niteſcit
Holſteini præclara Domus; nam immergitur illâ
Bernardus Lippæ Comes inclytus, atque Badeni
Marchio, Chriſtophorus; pariterquè Philippus habĕtĕ
Cognomen Magni quem felix Haſſia vidit,
Atque ſua imperio moderantem fræna benigno.
Si tales habuit proavos Fredericus, & altâ
Tantorum aſſurgit ſi Principum ab arbore ramus,
Quis maior? Carolum Sextum, Quintumquè Joannem,
Illum Germani Imperii cui pondus inhæret,
Hunc Lyſiæ Regem (reliquas omitto coronas
Nobilis Europæ) cognato ſanguine tangit.
Una fuit tantùm Frederico maſcula proles,
Quam teneris annis rapuit mors impia: verùm
Has genuit natas, liquidi quas margine fontis
Nunc cernis viduâ pariter cum matre ſedentes,
Atque ambas formâ inſignes; quæ pulchrior autem
Matris imago, fuit quoniam partu edita primo,
Jam patris eſt hæres, Princepſquè Holſteinia jure.
Huic Leopoldina, illi eſt Amabilia nomen.
Lintium habet Patriam Leopoldina, urbibus eſſe
Quod caput Auſtriacis dignum eſt; nam nobilis antè
Cùm foret urbs, poſtquàm hìc Princeps fuit edita luci,
Nobilior tanto natali cæpit haberi.
A' teneris annis virgo hæc fuit accola felix

Cæno-

Cænobii, quod opus Joſephi Amalia conjux,
Joſephi, Imperii tenuit qui nuper habenas,
Condidit, illuſtres ut ſacrâ in ſede puellas
Clauderet, ætatis donec florentis adeſſet
Tempus, ut inde viam ſub Relligione ſequantur
Æthereamn, aut tædas Hyminei accendere curent.
Ergo tribus luſtris, atque annum circiter unum
Tranſactis, petiit patrios hæc virgo penates,
Ne ſublime genus tandem ſine prole manêret.
Hæc tibi, ſi uxorem regali à ſanguine quæris
Moribus, ætate, ac formæ ſplendore micantem,
Apta venit conjux: nimium placuiſſe videnti
Suſpicor, atque oculis te dulce hauſiſſe venenum.
Eia age: non ultrà tendes: ſtat meta viarum
Clara Vienna tibi: inveniſti, ô chare ſororis
Nate meæ, uxorem, quam per tot ſpumea Regna,
Europæquè plagas veniens nunc cernis amænâ
Hac in ſede ſuis generantem lilia Plantis.
Nobilior nulla eſt Holſteini hac Principe, nulla
Pulchrior, & formam ſublimi mente coronat.
Adde, quod eſt hæres Frederici patris, & illi
Jus fuit, ô gelidæ Norvegia ſubdita Zonæ,
Ut caperet Regum ſibi debita ſceptra tuorum.
Conjugio tali veniet quæ gloria genti
Souſiacæ! Quantum accipiet Calarîſis honorem!
Ergo rumpe moram: Caroli te gratia Sexti
Certa manet: primùm illius dabis oſcula dextræ:
Mox Leopoldinæ matrem, quam viſere comis

Multoties ſoleo te propter lætus adibo,
Exponamquè illi Luſâ regione micantes
Emineant quantùm, Souſarum inſignia, Lunæ
Tequè mei expediam magni patris eſſe nepotem,
Germanæquè ducem meritò effulgêre Cohortis,
Et patris hæredem, & dominum Calarîſis amænæ;
Atque petam illius natam tibi jungat amico
Fædere connubii: tu formæ protinus arcem
Oppugna, donec cognoſcere poſſit amorem
Virgo tuum, niveamquè manum tibi porrigat uxor.
Hæc Comes egregius Taroucæ dicet, & illi
Protinus Emmanuel grates aget; atque venuſtæ
Principis optat amans ſe dici poſſe maritum.
Connubii magnus Carolus fit conſcius: inde
Conſcia fit mater, generoquè exultat habendo:
Nec Leopoldinæ adverſum ſtat nobile pectus,
Imòquè (jam viſo Emmanuele, ac ejus amore
Mox capta, & ſolùm Souſam ſe conjuge dignum
Confeſſa) optabit quam primùm dulcia ferre
Vincula connubii, votiſquè favebit Olympus.
Quàm Leopoldinæ fauſtus nitet ille ſecundus
Ille dies menſis, decorat qui nomine Reges!
Illo nata fuit, ſcriptum celebrabitur illo
Conjugii fædus. Carolus præbebit honorem
Immenſum, mittens pro ſe ſubſcribere chartæ
Præclarum Comitem Sinzendorfi: alter ab illo
Teſtis erit Comes ille tuus Coniſechia tellus,
Conſilio belli qui præeſt inclytus armis,

Tutelam-

Tutelamquè habuit nubentis Principis omnem.
Quinta dies Auguſti aderat, quam Souſia proles
Felicem digno ſemper celebrabit honore;
Nam Leopoldinæ Emmanuelem adjungere cernet:
Hos Epheſi antiquæ titularis Epiſcopus, altâ
Miſſus ab urbe, Tybris fluvio quam dicat amæno,
Nuntius ad populos Germanos, Æde domorum,
Connubio junget ſtabili, ſacra verba locutus.
Mox citus Emmanuel charâ cum Principe currum
Aſcendet, celeriquè rotâ premet arva Viennæ,
Belgarumquè petet regionem: hic nobilis illa
Offeret inſtructam bello Reſpublica navem.
Hanc nova nupta ſubit pariter cum conjuge charo,
Feliciquè ſecans Neptunia ſidere Regna,
Oſtia, queis ſalſas dives Tagus ebibit undas,
Intrabit tandem: Tagides occurrere cerno,
Antequè navigium feſtam inſtruxiſſe choreâm.
Tunc ſenior Galatea Tago gratiſſima patri,
Nam reliquas latè ſuperat facunda ſorores,
Hæc referet: Tandem rediiſti, ô Souſa, penates
Ad patrios, plenoquè Tagi ſubis oſtia velo.
Quot te per terras, quot per maria humida vectum
Aſpicio forti metuenda pericula ponti
Contemnentem animo! Lætor cum conjuge dignâ
Quod remees, floremquè geras, qui fructibus altam
(Sic debes ſperare) Domum ditabit opimis.
Jam quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores modò Luſitania novit.

P ii Omine

Omine felici venias, flos inclyte, Luſis.
Floribus invidiam pariture; at tempore tali
Cur venis? Apta magis ſtatio ſit veris amœni.
Egredere è navi: Germanum pinea nubes
Non ultrà abſcondat Solem: da lumina terris.
Egredere ad littus: Venerem credemus in undis
Enatam petiiſſe ſolum. Tagus ipſe ſuperbus
Auriferas meritò te propter ſpernit arenas;
Nam tecum theſaurus adeſt pretioſior illi.
Non, quæ prima rates auſa eſt dare lintea ventis,
Se ulteriùs jactet Phryxeum vellus ab oris
Colchiacis portaſſe: vehit, pulcherrima Princeps,
Maiorem gazam, quæ te vehit, aurea pinus.
Expectata ſolo Luſitano advenis urbi,
Quæ tota in portum ruit, ut videaris ab illâ.
Maiori inveniet famâ, quàm huc uſque ſonoro
Te, Leopoldina, exponebat fama metallo.
Egredere: en Regni proceres, & cuncta mariti
Gens cognata tui te propter littore ſiſtit.
Pro curru muta navem: pete regia tecta
Souſiadûm, felixquè tuo cùm conjuge vivas.
Ipſa ego te rurſus liquidi per flumina patris
Aſpiciam tranſire, alter cùm venerit annus,
Flammivomuſquè leo ſtellanti rugiat orbe.
Tranſibis cymba regali ad littora Counæ,
Atque hinc vecta rotis tendes Calarîſis opacos
Ad lucos, ſociuſquè tibi (mea dicta memento)
Pulcher natus erit niveum nutricis ad uber.

Æquo-

Æquoreus vates, qui inſano captus amore
Me petit uxorem; ſed ego illum irrideo, nuper
Auribus hoc noſtris patefecit; namque futura
Fatidicus novit ſenior. Magè læta relinques
Nunc Batavam pinum venturæ conſcia ſortis.
Jamquè vale. Dicet Nympha, & ſe fluminis undâ
Protinus immerget: mox Souſa, & candida Princeps,
Egreditur, littuſquè premit, curruquè ſuperbo
Devenit, ingenti procerum ſtipante coronâ,
Souſiacum ad limen, ſublimia tecta recenti
Artificis magni penitus perfecta labore.
Lætitiam illius noctis, menſaſquè paratas
Regifico luxu, & domuum ornamenta ſuperba
Quis poterit memorare? Meum ne gloria Souſam
Ulla tamen deſit, Divi adveniente Joannis
Veſpere, parturiet Princeps, pulcherquè Philippus
Nomine dictus avi dabitur, Calarîſius hæres,
In lucem plauſu reſonabunt aurea tecta.
Quin etiam Nymphæ quidquid prædixit amatæ
Carpathii vates pelagi, verum eſſe futurum
Autumo; namque Tagus vènienti æſtate videbit
Ut Leopoldinam fert aurea cymba petentem
Littus arenoſum Counæ, ſecumquè tenellum
Candida portabit nutricis ad ubera natum.
Quadrijugo hinc curru, dulci comitante marito,
Protinus ad gratæ Calarîſis limina tendet.
Tunc florum ſedes domibus conjuncta ſuperbis,
Auroram veniſſe putans ſua lilia pandet;

Atque

Atque priùs collapſa novo candore liguſtra
Prædita conſurgent : magè læto murmure fontes
Muſſabunt , ridenſquè albos premet unda lapillos;
Ac veſtita novo revireſcent gramine prata.
Lætitiæ effundet totas Calarîſis habenas
Principis adventu : ſilvis dabit illa timorem ;
Namque manu vibrans præacuto haſtilia ferro
Spumantes occidet apros , damaſquè fugaces
Pulvere ſulphureo ſternet mentita Dianam.
At verò Emmanuel, Princepſquè,ac natus, ad urbem
Rurſus Ulyſſeam , tranſacta æſtate , redibunt ;
Se Leopoldina ingenti Calarîſis amore
Concita mox cupiet charo ſociata marito
Ad Calarîſiacos iterum remeare penates.
Irrita vota cadent tunc temporis ; attamen illa
(Crede mihì) latè completa aliquando videbit
Emmanuel, Princepſquè ſimul, parvuſquè Philippus,
Sponte exul , Regni caput altum , deſeret urbem ,
Atque ſuæ ingrediens Calārîſis limina grata ,
Hìc tandem placidus fiet noſtri accola campi.
Hoc Calarîſiadûm genus eſt , hæc Souſia proles
Non ſerie fictâ ex primo deducta patente.
Talia voce dedit ſenior , fontiſquè propinqui
Mox immerſus aquâ fugit mea lumina tandem.

FINIS.